

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *

- I. Eximius Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-
secratum à M. Zacharia Wemmemperzo.
- II. Causarum coniectio, quibus moti status Regni Bohemiae ad Novi
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. ~~Summa~~ Summa ad Christianum Daniae Regem Fran. Angelini.
- V. Soteria Academiae Witebergensis Johanni Georgio Electori Sax. soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis
Anhaltini M. Meeri Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur. d. Eodem.
- VIII. De Vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdssami.
- IX. Narratio Uberius de Johanni Georgio Principis Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitodonia Tremis Francofurtanae D. Cyriaci Herdssami.
- XI. Casparis Romani Evergetes Christianus de Vita et Morte Georgii
a Sebonaich.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Deesemii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Commotitate in valle Franconii-
ca Eiusdem.
- XIV. De Eruditione, Utrum Literarum Cultoribus sit peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottoniae M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De Vita et Morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Everhardi inchoato funere sublata.
- XVIII. Programmata Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdssami.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatricis Martini Altagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianii de Schlieben
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Herdssami.

9

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ
CYRIACUS

HERDESIANUS,
J.U.D. & Pandectarum Professor P.

Idemque pro tempore
Amplissima Facultatis Juridicæ Vice-Decanus, & Pro-
motor ritè designatus
Ad festivitatem panegyricam,

In quâ
Viris quatuor, ingenio & doctrinâ præstantissimis,
virtute clarissimis,

Secundum ordinem, quo calculum Antecessoribus juris de se,
studijsq; suis legitimis permisissent, locatis

DANIELI BURCHARDI, MAGDE-
burgensi Saxoni, U. J. Licentiato

JOANNI-CHRISTOPHORO HART-
MANNO, Francofurt. Marchico.

DN. PHILIPPO NEIDLINGERO, FREI-
stadiensis SIL.

MATTHÆO COLERO, VVITTEM-
bergeni Saxoni.

Supremos in utroq; jure honores, & Docturæ insignia

III. Non. Junij anno cl. Is. CXXII.
ritu sollemni conferet

Omnes omnium academiæ ordinum Procures
& Cives amicè invitât.

LITERIS
HARTMANNIANIS.

2 BÜCHER

IN

DER

RECHENKUNST

VON

JOHANN

HEINRICH

WITTMANN

LEHRER

AN DER

UNIVERSITÄT



Augusta historiae scriptor Suetonius, qui Caesarum
vitas eadem libertate, quam illi vixere, in literas
misit, C. Caligulam, quo nec servum meliorem ul-
lum, nec deteriore dominum fuisse vulgi sermo-
nibus usurpatum, de Juris-consultis frequenter jactare
solum scripsit: se effecturum, ne quid respondere possent,
praeter Aequum; vel, ut Connanus legit, Eccum. Ne-
faria vero vox, et tali Caesare, qui monstrum potius homi-
nis, quam homo, et natrix populo Romano ac Phaethon
orbi terrarum fuit, digna: quae declarat, illum, ut unam
ante fato populo cervicem optavit, quod facilius unico ictu
abscindi posset; ita Juris-consultorum scientiam omnem
abolere; et vel in fictam aequitatem, vel in Principis au-
toritatem omnia referre voluisse: quo haut scio an quid-
quam reipub. perniciosius esse possit. Enimvero qui jus ci-
vile aut contemnendum, aut penitus abolendum pu-
tat: nae is M. Tullij, viri gravissimi et in rebus gerendis
praclarissime versati, sensu, vincula non modo judicio-
rum revellit; sed etiam utilitatis, vitaeque communis.
Cum enim inter molitam, ut sic dixerim, seu perpolitam
humanitatem, et immanem vitam nihil tam intersit, quam
jus et vis: horum utro uti volumus, altero carendum e-
rit. Si vim volumus extinguere: jus valeat necesse est: quo
sublato nihil jam est, quare exploratum cuiquam esse
possit, quid suum, quid alienum sit. Sin vero judicia displicent
aut nulla sunt: vis dominetur necesse est: per quam si

A 2

litigia

litigia terminantur, quid à bellorum confusione pax tran-
quilla distabit? ut præclare Gothorum & Italiae Rex
Theodoricus apud Cassiodorum loquitur. Legum enim ve-
rò reperta est via, & sacra reverentia: nihil ut manu, ni-
hil proprio ageretur indultu. Nam si causam manus
agat armata, quid opus est homini linguâ? aut unde
pax esse creditur, si sub civilitate pugnetur? ut iterum
Theodoricus. Duo quidem disceptandi genera Oratorum,
consultissimus Cicero facit: unum jure, alterum vi: sed in-
studium demum probat, cum illud locum habere non po-
tuit. Quod si jure civili abolito jus nec in armis; quo, de-
mente Varronis,

qui pote plus, urget: pisces ut saepe minutos
magnū comest: ut aves enecat accipiter;
nec cōtīs Bardalliois, ut Xenophon in symposio scripsit, in cru-
menâ & loculis esse volumus: si, inquam, non in armis &
fortunis, ut Dangmarus olim Turingia Comes, Henrici I.
Imperatoris natu maximus filius, omnia ponimus: aut ad
æquitatem recurrendum fuerit, aut ad Principis auctori-
tatem: ut quemadmodum Pythagorei quondam suum
ἀντὸς ἔφα habebant; ita causidici legum loco vocem Ec-
cum, seu Ecce illum, scilicet Principem, cujus voluntas lei-
gis loco sit, usurpent: quorum neutrum rei publ. vel ad trā-
quillitatem vel ad firmitatem conducit. Si enim non ex
scriptis legibus, sed ex æquitate & opinione cujusq; ac na-
turali iudicio causa dijudicanda, & controversia diri-
menda

menda sunt: nec pariliter & aquabiliter jus dicitur omni-
bus; nec suū cuiq; quod in praeceptis juris non postremū est,
postremo licet loco positum, tribuetur. Rectam quippe o-
portet esse regulam, ad quam cetera adequantur: quae, si
recta non est ipsa, non facile, quae applicantur, corriget.
Æquitatem autem ex suo quisq; cerebro aliam atq; aliam
sibi fingere solet: dum, quot capita, ut trivitt sermo prover-
bio tanquam syngraphā confirmatus, tot sunt & sententi-
tia. Et refert Xenophon: cum procerioris staturae puer, sed
curtā amictus tunicā, alterum pusillum, cui ad talos usq;
demissa vestis erat, exsuisset: suāq; illum, & se illius veste
induisset: Cyrum arbitrum delectum, auditā causā, secun-
dum raptorem sententiam tulisse: quod æquum putaret, u-
numquemq; sibi congruā veste uti. Sed addit quovis mel-
le dulcior Orator & historicus: post latam sententiam Cy-
rum à magistro vapulasse: qui suum cuiquam auferri non
æquum, sed iniquum censeret. Tum verò è repub. magis est
imperare leges, quam magistratus seu homines: quia illae,
ut optimè non optimi in Romanā juventute adolescentes
apud lacteae eloquentiae fonte manantem Livium loquun-
tur, res surda sunt & inexorabilis; nihilq; laxamenti ac
venia habent, si quis modum excefferit: & neq; gratiā, neq;
odio, neq; irā, neq; misericordiā flectuntur: & cum omni-
bus unā & eadem voce loquuntur. Hi verò licet optimi, ta-
men illis, quos jam dixi, animi motibus obnoxij sunt: & in-
ter amicum atq; inimicum discrimen norunt: saepeq; vela

gratia, beneficio, deterioribus adfectibus pandunt. Proinde philosophica sapientia dux Aristoteles, cujus auctoritatem nostri non aspernantur auctores, cum disputasset in politicis, utrum melius sit regi ab optimo viro, an ab optimis legibus: multaque in utramque partem argumenta collegisset: ad postremum ita concludit: Qui legem dominari jubet: is Deum & leges dominari jubet; qui vero hominem jubet esse principem; is hominem & belluam principes esse jubet. Cupiditas enim bellua quaedam est: atque animi libido pervertit & magistratus, & optimos quosque viros. At lex est mens & ratio constans & quieta, & omnium libidinum cupiditatumque motibus vacua. Quando igitur jure potius & legitimo judicij tramite, quam vi & ferro; legibusque scriptis magis, quam vel non scripta aequitate, vel Principum & magistratum voluntate lites terminari & controversias dijudicari expedit: facile intelligimus, opus esse in communi vita & civili societate juris legumque consultis: non qui leges ut ceram habeant, & pro animo aut quaestu suo huc illuc ducant & flectant; sed qui earum & morum cum ad respondendum, tum ad agendum & cavendum sint periti: atque hoc scientia genere quam plurimis profint. In tribus enim hisce ferè Jurisconsulti officium, si Antonio apud Ciceronem fidem arbitramur, est positum: ut possit nempe & respondere de jure; quod superiore nostroque aevi est clientibus consulere: & causas agere, quod

quod Advocatorum Causidicorumq; nunc munus est: & sibi ac consultoribus cavere: tum ut cautius res suas agant: tum ne prestigiis atq; offuciis eorum, quibus cum contrahunt, circumveniantur & ledantur. Hac qui cum laude, hoc est, cum fide & probitate possunt: eorum domus totius civitatis quasi quoddam est oraculum ab illis, tanquam ab Apolline, responsa vitæq; consilia postulantur: illis aurea munera, tanquam Apollini Delphico, deferuntur: illorum januam magnâ semper turba frequentat: & qui dubij atq; incerti ad eos accedunt, acceptis, tanquam à Deo, responsis firmi atq; certissimi dimittuntur. Possunt autem illa, certè quidem ad ea adspirant, qui liberalibus disciplinis præculti à primis legum cunabulis, & legitima scientia elementis, ad summa juris-prudentia fastigia pleno, quod ajunt, gradu adscenderunt: rerumq; divinarum & humanarum noticiam, justis atq; injustis scientiam multis lucubrationibus & vigiliis, & transmarinis ad celeberrimos legum magistros, ac disciplina forësis ministros, susceptis peregrinationibus sibi compararunt: suiq; fiduciam habentes è scholis & umbrâ, ad fori & rerum lucem actionemq; testimonio publico ornati, venire gestiunt: & Themidi Minervam miscent. Quorum in numero apud nos hoc tempore quatuor sunt ingenio, virtute & doctrina præstantissimi viri: quos tam in examine privato, quam publicâ disputatione, quam seorsim singuli diversis temporibus habuerunt, satis spectatos Amplissimus noster

noster Ordo, summo in utroq; jure honoris titulo dignos ju-
dicavit. In illis est Dn. DANIEL, M. AARONIS, Eccle-
siasta quondam Magdeburgensis vigilantissimi F., M. AAR-
RONIS, ad D. Udalrici in eadem repub. ministri verbi
primarij frater germanus, BURCHARDI. Hic cum in gy-
mnasio patriae, & nobilissimâ Roslebianâ ad Onestrum in
Thuringiâ sub GEORGIO ROLLENHAGIO & CHRI-
STIANO PODENSTEINIO, viris sollertiss. & dexterrimis
ingeniorum formatoribus, pietatis & organicarum
disciplinarum fundamenta jecisset, & philologiae imprimis
operatus esset: juris-prudentiae, practicarum scientiarum
principi, sublime & subtile ingenium suum addixit: & an-
te sexennium circiter VVittebergensem primo, inde Je-
nensem adiit academiam: in ibiq; per quadriennium in-
tegrum in juris tam publici quam privati adyta, viam
monstrantibus, & lumina menti praeponentibus Clariss.
illis juris luminibus, viaq; ducibus, D. Barthol. Reusne-
ro, Val. Gulielmo Forstero; Ortolpho Fomanno, Do-
minico Arumæo, Valentino Rimerio, & VVerthero
Mühlptortio longè se penetravit. Illinc discedens ad
nos venit: & in auditorio Philosophico de politicis qua-
estionibus, ad jus publicum pertinentibus, in juridico de
materiâ tutelarum publicè respondit, pulcrèq; stetit. Mox
ad pergrinationes, ingenij melius formandi & judicij
firmandi causâ, animum adjiciens, perlustratâ Silesiâ,
Bohemiâ, Borussia, Daniâ ad Neptuni filios Batavos
venit:

venit: & Lugduni aliquandiu studiis vacavit. Post
Themidis castra in inclytâ Juliâ posita secutus est: &
posteaquam ibi hibernarat, inde se movens, Athenas
hasce Marchicas se retulit: ac quem ab Amplissimo
nostro Ordine, ritu nostri ævi, Licentiati in jure titu-
lum petebat, post habitam Kal. Novembribus supe-
rioris anni de juribus majestatis disputationem pu-
blicam a.d.VIII.Eid.ejusdem mensis, me conferente,
obtinet. Quâ dignitate ornatus, & licentiam ad sum-
mum in jure honorem adspirandi, eumq;, cum vellet,
consequendi nactus, sine morâ domuitionem paravit:
nec multo post tempore Jenam multis sibi nominibus
charam repetiit: unde, occasione sibi oblatâ minori-
bus sumtibus supremum illum honorem adipiscendi, ad
nos redux factus ceteris sese Dnn. Candidatis adjun-
xit. Quos inter proximum ab ipso locum tenet Dn.
JOHANNES-CHRISTOPHORUS
HARTMANNUS, acutissima mentis, & mode-
stissima frontis juvenis: quem ab avo JOANNE
HARTMANNO, viro prudente & honorato,
Bibliopolâ & cive hujus academiae spectato; & post
ejus mortem à patre FRIDERICO HART-
MANNO, viro ornatissimo, primâ statim ætate,
magistris optimis in disciplinam traditum; & in omni
philosophiâ (cujus studio ingenia magis quàm ullâ re
B aliâ

aliã acuumtur : longè ut majori jure Philosophia ingeniorum, quam ira fortitudinis cos appellari possit) publicè privatimq; institutum ; & aliquoties de partibus illius expedite, argute, & firmiter, cum applausu omnium, in publico respondere meminimus : græcèque, & latinè inter paucos doctum, stilo utroque facilem, & tam prosã quam numeris adstrictã oratione promptum esse novimus. Hac suppellectile mundã nitidãq; comparatã legum & justiciæ sacraria inijt : ductoribus primis, DN. MATTHIA POLENIO, J.C. nuper Antecessore celeberrimo, nunc Serenissimo Electori Brandeburgico ab intimis consiliis, publicè : & M. CHRISTOPH. NEANDRO, Professore Politico, privatim. Telam studiorum legalium, domiquam exorsus erat, in celebrioribus Germania academiis pertexuit : & in Salanã primum D. FOMANNO, ARUMÆO, & JOANNI SVEVIO, cujus etiam mensã triennium usus est ; tum in Marpurgensi D. HERMANNO VULTEJO, & JOANNI GOEDDEO, viris inter duces & antesignanos ad Jurisprudentiam ponendis, operam dedit : ut de iis, qui Giesã, & Colonia Ubiorum (nam & in his academiis aliquandiu vixit, & multa vitæ idonea memoria infixit) magnã cum laude & successu jura docent, nihil jam dicam. In patriam ante biennium, & quod

quod excurrit, reducem, & egregia pietatis, probita-
tis, ac doctrinae specimina dantem Magnificus & No-
bilis. Vir, DN. JOANNES à Benefendorff / Se-
renissimo Electori Brandenburgico à consiliis interiori-
bus, & Neomarchiae Cancellarius, in Pammin &
Drenovo Hereditarius, literarum & literatorum,
nostraeque in primis academiae Fautor honorandus, Fi-
lio suo unico, uniceque charo, excitati ingenij & excelsi-
lentis indolis adolescenti, in Gallias profecturo comi-
tem adjunxit. Quo in itinere DN. HARTMAN-
NUS visis Helvetijs in Allobrogibus substitit: inde
Sabaudiam perlustrat à nobiliss. Galliarum provincias
ingressus est: & cum biennio illic, non tam oculos variis
& admirandis rebus spectandis, quam animum sum-
mis in omni doctrinarum genere viris audiendis pa-
visset ac saturasset, retrogressus in Germaniam, Ma-
gnifico Parenti Filium nobilissimum salvum atque
incolumem, & quod majus, doctrinam & moribus pro-
bè excultum reddidit: seque ipsum suis hinc stitit.

Eandem cum prioribus studiorum orbitam tenuit
DN. PHILIPPUS NEIDLINGER Frei-
stadiensis: qui jactis bonarum literarum, & prima-
rum artium in schola patriam & Fraustadiensi, & Gy-
mnasio Gorlicensi fundamentis Lipsiam profectus,
privatim D. Christophoro Preibisio, publicè D.

B 2

Leo



Leopoldo Hackelmanno, & Justo Mejero in utro-
que jure instituendum sese dedit. Illinc Jenam &
Marpurgum se contulit: ubi & inter convictores Pe-
tri-Eliæ Schroteri J. C., postea Cancellarij Lauven-
burgici; & inter auditores ac familiares tum eorum,
quos ante nominabam, juris Antecessorum, tum D.
Antonii Matthæi fuit: quorum omnium vivâ voce,
linguaque plectro omnia legalis scientiæ semina in a-
nimi ejus arva felicissimè inserta sunt. Verus enim
verò sermo est, ait maximus ille Medicorum post
Hippocratem & naturæ peritiss. Galenus, quem ple-
rique artifices in ore habent: quod non idem sit
neque simile à vivâ voce discere, & ex libro legere;
& alibi, optimam esse doctrinam, quæ vivâ voce tra-
datur. Neque enim quenquam ex libro nauclerum,
aut alterius artis artificem evadere: cum libri sint
ijs, qui ante eruditi fuerunt, monumenta: non rudium
& indoctorum doctrina perfecta. Sed ad Dn. Neid-
lingerum redeo, qui Marpurgo discedens Giessam ivit:
& inter ceteros Helfrici-Ulrici Hunnii institutio-
ne & conversatione cum fructu usus est. Tandem
parentum voluntate Heidelbergensem & Argenti-
nensem in Germaniâ, Parisiensem & Aurelianensem
in Galliâ, Lovaniensem in Brabantiâ academias vi-
dit: & cum iisdem valedixisset, ac in Germaniam re-
dixisset.

düsset, Colonia & Marpurgi iterum aliquandiu se te-
nuit: donec in patriam revocatus è multis aliis seli-
geretur, qui nobilissima gentis & generosissima mentis
Equitum quorundam Silesiorum Ephorus fieret, &
studiorum morumque inspector. His comitatus an-
te annum ad nos accessit; & in legitima scientia pala-
stram magno animo & magna spe, qua ipsum non frus-
trata est, incubuit. Non aliam Competitoribus suis
viam ingressus est DN. MATTHÆUS COLER-
RUS VVittembergensis: cujus genus, ex ipsius civi-
lis sapientia stirpe generatum rectè dixerimus. MAR-
TINI is COLERI, ejus, qui de alimentis egregium
tractatum scripsit, Filius, & non opum magis quam
virtutum heres est; MATTHÆI autem VVESENBE-
CII, J. C. Germania summi, cujus de humanitate &
doctrinâ nunquam quisquam ita magnificè dicet,
quin id virtus ejus exsuperet, ex filiâ Nepos. Idem
cum lacte materno succum pietatis & probitatis in-
suxit: & cum in scholis Magistris scientissimis, & domi
optimo præceptore uteretur, paucorum annorû spacio
rudimenta scholastica prætervectus est, ita ut mul-
torum oculos in se converteret. Cum id ætatis jam
esset, ut in latifundio juris pedem ponere posset; VVit-
teberga in patriâ D. Reulnerum, Forsterum; Myr-
tilletii D. Dionysium Gothofredum, librorum beluo-

nem, Danielelem Nebelium, & Reinerum R. F. Bachovium Echtium J. C. Excellentissimos & Antecessores illarum academiarum celeberrimos docentes sedulo audiens civilis prudentia fluenta cupidissimo pectore hausit: hunc postremum etiam, acutissimum virum, mensa ejusdem participem habuit, & summam sibi familiaritate conjunctum. Ac ne genitalem solo semper adfixus sterilem, sed in aliud atque aliud translatus robur & incrementum sumeret, atque in virtute & doctrinam magis magisque succresceret: exteris quoque academiis adeundas sibi duxit: & primo quidem Genevensis in Sabaudiam ad Lemanium lacum: deinde vero Aurelianensem, Parisiensem & Bituricensem, ubi Cathedram, quam Sol ille juris-prudentiae & omnium bonarum literarum JACOBUS CUJACIUS quondam sederat, adoravit: & ubique id egit, quod ipsum indoles praeclara, & Avimaterni atque Parentis, quos non aliter ipse semper respicit, atque cynosuram navigantes, splendor & exempla vocabant. Quatuor hosce viros, honesto omnes loco natos, & in studiis legalibus praeclare hic & alibi versatos, crastino die, quod felix & faustum esse non Legifera Ceres, sed DEUS Opt. Max. verus ille θεομορφος & jubeat, ex Serenissimi Principis ac Domini, DN. GEORGII VII.

*VVILHELM I, Marchionis Brandenburgici, &
S. R. Imperii ArchiCamerarii & Electoris, &c.
Domini nostri clementissimi concessu, & Amplif-
simi nostri ordinis decreto, in Capitolium honoris de-
ducere, jurisque Casarei ac Pontificij Doctores re-
nunciare constitui. Quod cum non in conviviiis &
beluantium circulis, non in obscuris urbis hujus angulis,
nec paucorum hominum conventiculis; sed in cla-
rissimo urbis loco, in templo cathedrali sacratissimo,
& literatissimorum hominum concursu maximo fieri
amet: amanter à vobis, Florentissimi academiae Ci-
ves, peto: ut sequestratis non nihil studiis vestris, post ho-
ram XII. in loco jam dicto, magno numero confluat: &
& honorificam vestram presentiam sollemnem actum ex-
ornetis: eademque operam & Civili sapientia, rei san-
ctissime cultum; eiusdemque Professoribus observanti-
am & respectum; & nobis benivolentiam & amorem;
& Dnn. Candidatis adfectum & applausum tacitum
comprobetis: ac dignitatem ipsam gratulemini, DE-
UM precati, ut bono publico exercendam. Quod
superest, quam condecet pietate & sanctimoniâ Cœleste
Numen poscimus: ut Serenissimo nostro Principi,
& Conjugi ac Proli ejus Illustrissimæ omnia, quæ
perpetuanda felicitati in hac vitâ, & consequenda
beatitati in alterâ facere queant, largam manu suppe-
ditet:*

ditet: Et nobis sub imperio ac tutela Serenissima Cel-
situdinis ejus, auream pacem porro conseruet: faxit
que, ut apud vicinos, qui vel natura cognatione, vel
religionis societate nobis juncti, sedatis perniciosiss.
bellorum tumultibus, Et animis dissentientium Prin-
cipum aut mitigatis, aut reconciliatis, quod bellicalar-
mitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiat. Bene vale-
te: Et ad spectandum audiendumque frequentes ven-
nite. P. P. IV. Non. Junij, anno post Christum
natum CL. L. CXXII.

M. C. N.

DE INGRAVESCENTIS PO-

tentia viribus & Temperamento,

Dissertatio.



Osteaquam ingra-

vescentes discordiarum civi-
lium vires, ipsasq; bellorum flam-
mas latiori serpere lacinia, inque
communem Patriam proh! cuncto-
rū pœnè malorū lernam se effundere,
indies experimur, Illustrissime Ligni-

centium ac Bregensium Princeps. D. Cl. Viri spectatissimâ, re-
verenda, amplissima & Senatoria dignitate, Tuque studiosæ
Juventæ, spectatorum ac hospitem lectissima corona; Cùm in-
quam, crebrius personant aures popularium, quos Fidei & Pa-
triæ conjunxit consortium, fata atque clades, intestino scilicet
eos confici bello, quo cùm omnia sint misera, tum nihil mise-
rius victoria, florentissimam devastari Germaniã, villas exuri,
incendi pagos, tot seculis exstructas amœnissimas civitates
Martiali prosterni fulmine, virgines & matronas vel ante pa-
rentum, conjugumque oculos fœdari, trahi in vincula senes;
diripi fana, civium opes transferri; silere passim leges, rideri
humanitatē, sanguen ruere in sanguinē, Religionē multis ludi-
brio haberi, & pro obtētu sepius eã sumi regiones invadendi, sa-
cri profaniqu; pro crimen! passim aboleri discrimē: Tanti sunt
ea cūcta momenti, ut mentes nostras faciesq; in luctū facilius
formarint, quàm panegyricis ut intēderemus festis, cętibusve,
quæ Marti satius, quàm Artilitarint; quæ Ductores potius

C

militiæ

militiæ optandi porrexerint fas, quàm Doctores creandi, quæ
ruri fortiùs cum sago exercere quem deberent, quàm cum to-
ga juri incubare.

Verum enimvero, sicut ob laceſſitas & Martio ſuſpenſas
fato popularium periodos leſſus edimus, ſic ob lætam Pacis,
quæ lætam provinciam hanc pacifica hætenus proſpexit fron-
de ac fronte, faxit ætatem Jehova, adorem, grati in Deum, gra-
ti in Principem, exultamus, & devoti vota ſolvimus; Nihil e-
nim auguſtius, nihil ſanctius, quàm omiſſis præcipitibus tuta
& ſalutaria capeſſere, vetera novis & quieta turbidis anteha-
bere cum ſcilicet Sereniſſi Elector. D. N. CL neque ſe vel Rem-
pub & ſubditos ſuos in caſum dat, & ſapientia potiùs extinguit
diſſidiorum favillas, quàm armis & ferro rem in diſcrimen
adducit, qui æquitate ſanctiùs, quàm ſanguine, cauſâ quam ar-
mis retinere mavult Majoribus parta. Parra Jo! nobis hæc di-
vinis auſpiciis felicitas eſt à te, GEORGI WILHELME, pruden-
tiſſime juxta ac Potentiſſime ELECTOR, qui Chriſto duce ſa-
lutaribus rectis conſiliis Paci maluiſti incumbere, quàm in-
certis bellorum eventibus Te fortunamque Tuam committe-
re, præclare non novisti modò Cæſaris Auguſti præceptum,
ſed & re ipſa uſuque cum æterna nominis Tui gloria in com-
modum Tuorum convertiſti, prælium ſcilicet aut bellum nū-
quam ſuſcipiendum, niſi cum major emolumentum ſpes, quàm
damni metus oſtenditur, nam minima commoda, ait item ſa-
pientiſſimus Imperator, non minimo ſectantes diſcrimine ſi-
miles ſunt aureo piſcantibus hamo, cujus abrupti damnum,
nulla jactura poteſt penſari. Tu nobis inter plurima Pacis do-
naria & Marchiæ halyconia conceſiſti pietatis & bonarum
artium ſtudia feliciter excolere, ſacræ Themidi ſtudioſè litare;
fecisti, ut à Juſtitiæ foribus foroque patulo juſtitium exularet,
quieta

quieta turbidis ac propria alienis ante habendo, Princeps Pacificus, Justus & Pius in Deum ac homines perpetuis laudibus celebraris.

Ex hoc largissimo & non tam vivo, quam divo placidi ac pacifici Electoralis animi fonte haud exilis in almam hanc Academiam, imprimis verò collegium Juratorum emanavit rivulus, quo irrigati Juris sacerdotes non tam respondendo & consulendo confluentibus passim huc velut ad S. aram ab extremis Teutoniæ oris intendant, quàm studiosam juventam, Fidei & industriæ suæ commissam intra orbitam æqui ac boni rerum divinarum ac humanarum continentes ad Capitolium deducant honoris & dignis laborum præmiis decoratos dimittant, egoq; hoc ipso de loco præsentis clarissimos Candidatos eisdem cum bono Deo brabeis paulò post, ubi prius de potentiæ temperamento, veluti Juratorum iconem, pauca quædam præmisero, sim dimissurus.

Quemadmodum verò sub Justitiæ, ejusque cultorum, vexillo, cui, suum cuique tribuere, loco augustissimi symboli impactum, omnes omnium ordinum homines maximè juris diribitores ac sacerdotes mereri ac militare decet, ceu natura & Christi τὸ σὺν τῷ ἑαυτοῦ πρᾶξαι præcepto edoctos; Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; Quod, quanquam à fide alienus salvifica Alexander Imp., velut cynosuram censuramque cunctarum actionum & consiliorum suorum omnibus Palatii foribus non infigi modò fecit, sed re ipsa æquis quibusque Principibus in exemplum id severè & verè imperando observitavit. Ita neglecto hoc sacro & politico fundamento quavis æra reperti sunt plurimi, qui solutis potentiæ absolutæ ac ingravescentis lupatis limites justitiæ & moderationis proficientes & summa mediocribus, dura moderatis, scæva benignis, veteribus nova,

turbida quietis antepponentes, se suosque in casum & præcipitium dederunt. Quamobrem de viribus & temperamento ingravescentis potentatus, imprimis, quod summa cura prospiciendum sit in Repl. ne cujuscunque potentia eo pertingat magnitudinis, ut cæteros opprimere ac pessundare sit potis, integro semper subditorum erga Dominos etsi discolos obsequio, omnis enim creatura legitima potestati sit obnoxia; è meditullio politices ac juris publici (nam privati juris capita quædam selectiora enucleabunt nostri Candidati) citra præjudicium cujusvis, quo de ante edicimus mihi disserenti liberè in Rep. & Themisteo libero, uti benivolas cum auribus mentes admoveatis, enixus, oro.

Antequam verò in salebroso hoc rerum politicarum saleo, tot emotis bellorum fluctibus, contrariisque ventorum luctis me committam, in œconomico prius & Ecclesiastico statu, quædam circa universam exorbitantiam potentiæ delibabo, quo in Politico postea facilioribus oratio subvecta velis ad portum appellat feliciter; In domo, cujus fundamenta conjuges, nihil uxore asperius imperiosa & potentiori, sive nobilius genus, sive divitias ejus respiciamus, quam insolens malum beata uxor, inquit Cardubensis Suada, cum immensum pondus auri attulerit, cum pecunia arcas vestras oneraverit, quid aliud, quam beata servitus? Principibus etiam potentiora subditorum matrimonia velut rebus innovandis apta, sæpius suspecta fuerunt, Asinius Gallus invisus erat Tiberio Cæsari tanquam ducta in matrimonium Vipsania, M. Agrippæ filia, quæ Tiberii uxor fuit, & ita plus quàm civilia agitare dicebatur; Idem Sejano, intimo licet Consiliario Livie uxoris Drusi Germanici sororis nuptias ambienti abnuic, nam facilè vidit, inquit Annal: scribtor augustus, quantum à Rep. peteretur; Claudius ob eandem rationem juris privati san-

atione posthabita ex ratione status suam ex fratre neptem
Agrippinam in uxorem duxit, ne foemina, inquit Tacitus, ex-
perta foecunditatis integra juventa, claritudinem Caesarum
in aliam domum inferret. Vice versa potentiores Principum
conjuges & subditis graves sunt & statui, praesertim nondum
firmato; Quare Cosmus Medices, qui primus familiae
Mediceae hodie Imperatorum, Regum, Principumque Euro-
pae sanguini connexae eam amplitudinem intulit, ut omni se
liberaret suspicione & benevolentiam Florentinorum auge-
ret, seque intra modestae potentiae fines teneret, Filiis uxores
non allexit e Principum familiis, sed ex Patritiis & civium
domibus; Firmato vero post Principatu ex Augusta do-
mo & sanguine Austriaco ceu columina & sui status Mediceaeq;
domus medicas verè uxores Augustas summo familiae decore
incremento ac splendore adsumserunt. Hujusmodi, inquam,
etsi vilis, civilis tamen & verus versus suppeditat remedium.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

In altero oeconomicae fornice, qui inter parentes existit & li-
beros, in virgulae censoriae notam incurrit ingravescentis libe-
rorum, qui ex obscuro loco ad summas necessitudines, hono-
res & divitias eVecti parentum pauperiorum obliviscuntur ac
sanguen averfantur, potestas, de quib, rectè Chrysologus, A se-
migrat, inquit, & ab homine totus transit in bestiam, paternae
pietatis immemor, & Gratiae genitoris oblitus, & Hipponensis
Praesul: Caninum est, parentes nō agnoscere & e Graecis alius,
πειρα κέν δένήσ αιτθ θεόν μέγαν ός γενετήρα, Pharmacon Agatocles fi-
guli filius Siculorum Rex porrigit.

Fortunam reverenter habe, quicumque repente

Dives ab exili progrediere loco.

Et Archiepiscopus Magdeburg: Ludolphus, pauperis agrico-
lae filius doctrina & virtute tantum dignitatis attigit, cum

ipsum mater pannis & annis obsita adire vellet vitæ mox fini-
endæ subsidia petitura, jussa est ab aulicis, qui pannosam Prin-
cipis conspectui offerre, parum decorum judicabant, habitum
mutare, nobilique amictu ad filium præfulem indutam dedu-
xere, ubi tanquam ignotam repudiavit, matremque suam esse
negavit: Rusticam eam fuisse dicens, nec unquam tali habitu
usum, nec per status conditionem aut rei inopiam uti potuis-
se,educta igitur, pannus ei redditus, postea ad Principem re-
gressa est, qui obviis ulnis amplexus & matrem salutavit, ho-
nestissimeque ad extremum usque habitum secum habuit.

Parentes aliquando hujus insolentis potentia filiorum
occasionem præbent, dum habenas iis habendi & prodigendi
numos licentiosius laxant, thesaurosque in vita aperiunt, quò
egere ipsi postea cogantur; in quos præstò portis opidi hujus ad-
pensa ostèditur Clava grãdior cū inscriptione antiqua scitaq;

Nam mores pro! depravati docent, unicum parentem fa-
cilius filios decem alere, quam decadem filiorum unum pa-
rentem. Satis ergo est, ne in syrtes has & angustias impingatur,
liberos à parentibus assuesieri à cunis ad obsequiosos labores,
ad cibi potusque temperantiam, non ad vestium luxum, sed
honestatem, ad perferendas cœli solique molestias: sunt & ex
parentibus, qui exuta humanitatis storga asperius liberos ro-
tant, & contra Apostolicum monitum ad iram provocant eos
innocentes: Tantum de liberis.

Ad servos & ministros tertium domus ordinem pergi-
mus, Bone Deus! quàm gravis, quàm perniciosa istorum po-
tentia domibus cum Principalibus tum privatis, ut illorum
intuitu rerum Dni. Quirites, si patritius aliquis vel civis Ro-
manus domi à servis suis (quos aliquando privatus ultra
sexcentos in una fœvit domo) occideretur, omnes servos nece-
rèt, quamvis innocuos, propter scilic. exemplum & infringen-

dam nimiã & ingravescentem adeoque suspectam eorũ potentiam. Ideo cum Neronis tempore domi suæ Pedanius Secundus Romæ præfectus interemptus fuisset, & secundum legem sexcenti, quos habebat servos, perire deberent, inter plebejos non deerant, qui tot innoxios defenderent, summumque illud jus arguerent, donec C. Cassius multæ autoritatis Senator legem observandam, quamvis duram & asperam differuit, certum esse ex fuso exercitu, cum decimus quisque feritur, etiam strenuos & innocentes sortiri propter civium salutem, ut servorum nationes & colluvies coerceantur: neque respiciendum, quosdam infantes perituros; quia habet aliquid ex iniquo, omnem magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Quæ regula ex mediotullio Rationis status abrogat legem juris privati disponentis, pœnam duntaxat auctorem seu delinquentes non innocentes tenere. Quam rationem attingit etiam Ulpianus noster C. IX. de offic. præf. Caterum, inquit, opprimi aliquem propter adversarii sui potentiam non oportet, hoc enim ad invidiam ejus, qui provinciam præest, spectat: si quis tam potenter se gerat, ut omnes metuant adversus eum advocacionem suscipere. In domibus Principalibus & aulis, nihil miserius, nihil asperius, nihil funestius Reipub. quàm insolens unius vel alterius ministri potentatus, cui se statumque suum Princeps soli supponit, quorum exemplis & horrendis eventibus referta est omnis historia, omnis æra, Pallas, Narcissus, Calistus libertinæ conditionis trias, tanta polluerunt in Claudii Cæsaris aula auctoritate, ut iis addictus non se Principem sed ministrum egerit; compendio cujusque horum vel etiam studio & libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est, ideoque Dominum Domini Narcissum S. Aurelius vocat, Eiusdem fuerunt farinae
sub

sub Tiberio Sejanus impotentia ille juxta & potentia aulicæ
spectaculum, ut horrendum ita sempiternum; Sub Nerone
Tigillinus, sub Vitellio Asiaticus, Perennis & Cleander sub
Commodo; sub Severo Plautianus; Apud Philippum Macedo-
nem Apelles: Thomas Wolfæus apud Henricum VII. Anglo-
rum Monarcham; Comes S. Pauli Ludovico XI. regnante:
Enguerandus Marinianus apud Philippum Pulcrum, & novif-
simè Ancoranus Marchio adgnomine Concinius sub Ludo-
vico rerum modernarum Gallico scepro admoto: Alvarus
de Luna apud Johannem Aragonium, sub Philippo II. Albanus
Belgarum Imperator & Niger Castigator: & nuperrimè Ler-
mæus sub Philippo III. Hispanico. In Germanicis aulis nemo
tam pereger vel æger experientia, quem similes periodi aut
tragediæ aulicorum fugiant, ò utinam æqui omnes fugiant,
qui insolentis potentia anchora in salebroso & lubrico aula-
rum pelago fixa aliud nihil indepti, quam quod semet in ex-
tremos conjecerunt discriminum scopulos. Remedia huic
malo in promptu sunt, ministro quidem ad potentia & aucto-
ritatis fastigium evecto, ut modestia cancellos nō exiliat tūm
erga Principem, tūm ejusdem necessarios atque alios proceres
aulicos & ministros humilem, humanum officiosumque lege-
rat, ut opportunè secedat aulis, cum invidiarum ac odiorum,
tempestates suboriuntur & ut nihil agat solus, nisi communi-
cato consilio inter plures; Quin pro Principe medicina salu-
brior nulla, nisi quod unius insolentia suam potentiam haut
substernat, quin potius pluribus in consilium adscitis, publica
præponat privatis: Alioquin si se malo maximè ministro re-
gendum princeps mancipat, se cum Repub. in discrimen ad-
ducit. Tutior enim & melior est Respub. ait ex priscis Histori-
cus, in qua malus Princeps, ea, in qua mali Principum
ministri.

ministri. Verū relinquam hęc, & è domo privata ad domū Dei
vel Ecclesiam nos conferamus: In hanc posteaquam irrepfit,
vis auri & secularis potentia vel spiritualis tanquam præcel-
lentioris & independentis obtenta, ubi divitiarū paupertatem
expulerunt, cum Episcopi Romani ceu Dei vicarii, ad se regna
& Principatus terrarū traxerunt, Leges & Reges è lubitu lege-
runt, eosdem destituerunt, dirisq; devoverunt; Cum, inquam
pleraque Europæ Regna sub feudi legem redigere & ita bene-
ficiarios sibi obnoxios Principes reddere nisi sunt, Bone Chri-
ste! quā frigidè tūm tui vestigia pressit, tuus, ut se simulat, non
stimulāt tui vestigia, Vicarius, Exulavit Romæ diu fides solida,
lux in tenebras, puritas verbi in tot affanias conversa fuit: li-
gneis olim calicibus utebantur aurei sacerdotes, notavit aptè
Canon, cum aureis calicibus uti cæperunt, facti sunt lignei sa-
cerdotes; & si vera fuit, donatione Cōstantini Magni in Sylve-
strum facta, quasi effusum fuisset venenū in Ecclesiam cœlitus
vocem intonuisse, annales recēsent. Hęc Papatū potentia tam
felicib. habendi habenis evecta & suspecta Christiano orbi, effe-
cit quōdā, ut leges belli pacisq; aliūde ferè nō peterentur, ac ex
urna Vaticana. Et quis amplius emunctioris naris dubitabit?
obtentu cōfessionis auricularis exactæque peccatorū enume-
rationis Potētatū cleri, formidabilē etiā formidinis domito-
rib., plurimū promoveri. Verū de hujus' potētia moderamine
ne solliciti simus, ejus n. vis tam altè in pluriū animis egit radi-
ces, ut temperari difficilimè queat, multò minus evelli, nisi pe-
riodus divinitus illi imposita sit cōpleta. Nec Romæ duntaxat
vel è Papatu hęc mitralis potentia *ἐκβασις* colligimus; Nam i-
dem penè ab iis quoque, qui potentatus illius jugum excusse-
runt, aliquando intendi videre est, ut, licet sceptrorum popu-
lorumque ex sortes sint, potentia tamen non Christi quidem.

D

man-



mandatis obtenta, sed linguarum potius impotentia ac fastuoso ambitionis æstufota discordiarum spargant voce ac literis semina, quibus aliud nihil efficitur, quam ut virum & virorum distractus cōtrahatur pro!cum pœnitidine solutiores. Quibus remedium præsto erit, si à magistratu ferociore coerceantur, ut Christi Salvatoris vestigia prementes caritate ceu bonorū & Christianorum operum fonte & fomite omnes vitæ actiones excitent ac præmuniant, quò è fructibus mansuetudinis & pacis Spiritu veri Salvatoris sectatores dignoscantur. Superioribus non adversatur, quod aliquando utriusque togæ Clericus partes faciat in negotiis & consiliis Politicis: Nam & in Sanhedrin magnum illum senatum, in quo negotia etiam regia & civilia tractabantur, lecti erant Levitæ; Atque hoc est, quod inter Mosis instituta Flavius Josephus posuit: Nihil agat Rex, nisi de Pontificis & Senatorum sententia. Et Josaphat, cum Zebadiah iis negotiis præfecit, quæ ad Regem atque ad populum Judæ pertinebant, etiam Satrapas Levitas ei adjungit, qui in partem curarum veniant: Sed facile hujus ambitionis telo obsistitur. Nam singulare id in illo Regno, quod ipse Deus sacerdotale appellat, receptum ad consequentias non trahendum. Nihil etiam ad nos consilium Hispanicum, præsertim, quod conscientiæ Regis præsidet, compositum magna parte ex Clericis, Episcopis adfessoribus: Poterunt sanè in conscientiarum casibus & inde pendentibus Ecclesiastici quoque à seculari magistratu consuli, ita tamen, ne extra illos in arcana dominationis aut Reipub. quibus se immiscere ne ipsi quidem canones patiuntur, erumpant: Multò minus ex ingenti illa sacerdotum multitudine, cum vel uno die Hierosolymæ solenni Paschatis & præterea duobus aliis festis centum & viginti millia sacerdotum munus

munus suum obierint, Potentatus exorbitantia colligitur
Nam & territorii exors ista fuit, & ex multis Palestinæ ac O-
rientis oris in sanctam urbem festivis tantum diebus venit &
junctis quasi operibus sacra simul fecit. Quinimò Levitis in
sacerdotium ad sumtis nullam portionem datam fuisse quò li-
berius Deo servirent, Sulpitius Severus scribit, & pruden-
tissimè passim fieri inter Protestante is videmus, ut Pastores in
pagis magis animarum, quàm ovium & pecorum existentes fi-
xa habeant stipendia, quibus se suosque honestè tueantur, &
quo juri divino exponendo sanctius incumbere possint, ruri
colendo operam navare vetentur. Cætera, quæ Vaticanæ o-
mnipotentia defensores, & ex his maximè Bellarminus, Ba-
ronius, Ribadeneira, Navarreus, Valentia, & è nostra toga
Baldus, Jason, Felinus, Rebuffus, Abbas, Beroiius & alii pro il-
la prodiderunt, masculè arietarunt tam ex Theologorum,
quàm Politicorum schola cordatiores.

Monstravit præterea superioribus lustris amplissima
Venetorum Respub. alium restringendæ in Clero potentia
modum, ne Jesuitæ & alii è Clericis castra, villas, & res immo-
biles ementes seculari se subtraherent Jurisdictioni eaque im-
mutata suam cum Reipub. damno auferent & amplificarent.
Cujusmodi etiam statuta in Germania reperiri & tanquam
publicam utilitatem concernentia toleranda esse, rerum fo-
rensiū peritissimus Gailius, etsi Pontificius in suis observa-
tionibus tradit. Sed à stola ad ensem vel ab Ecclesiastico ad poli-
ticum nos conferemus ordinem, veluti œconomia & Ecclesiæ
arcem & brachium, major enim ejus exigitur potentia, cujus
vi non tyranni artibus, sed boni pastoris ac patriæ patris ani-
mo téperatâ omnes subditi ac ordines valent & fideli domino
fidelem vicem reddunt: Ut ut aliquando luculentiores poten-

D 2

tiarum.

tiarum exorbitantiæ in hoc ordine, quam in prioribus ebulliant. Nam siue subditos consideremus, Principis respectu vel Reipub. non ambigitur, quod, licet ei nihil gloriosius sit, quam illustres & divites sortiri illos, tamen ipsorum nimia potentia (siue virtutes sublimes, fortitudinem tremendam, justitiam exactissimam, prudentiam singularem, divitias vel ædificia etiam illustriora spectemus) olim suspecta erat, & ideo viri præstantissimi non à tyrannis modo, sed à patribus quoque patriæ è Reipub. ad tempus pulsati fuere, tam apud Athenienses quam etiam inter Romanos. Et hoc ebullientis potentia temperamentum vocabatur Ostrocismus priscis quoque politicorum Principibus Aristoteli & Platoni laudatus. Eodem respexerunt sapientissimi Mortalium Veneti, qui lata ea de causa lege, neminem temerè ex Optimatibus, qui vel insigni virtute vel Spiritu in gerendis rebus cæteros antecellunt, plus equo crescere vel collecta populi gratia præpotentem aut clarum nimis, licet clarissimi omnes vocentur, fieri patiuntur. Eandem ob causam inter Turcas subditorum facultates & vires, ne ad rebellionem cõcitentur, tyrannico, tamen instituto planè concisæ sunt. Si ad priscas & modernas Italiae civitates ac status excurrere lubet, nihil illas tot modis evertit, & sub unius etiã Principatum cõegit, nisi vis potentia in grave-scentis civium, olim Syllarum, Crassorum, Pompejorum, Lucullorum, Antoniorum, Juliorum, &c. istas, modernas Italiae Respub. intelligo, quid aliud divisit & plurimum ab Aquila Romana Germanica disjuxit? quàm exuperans potentatus Columnarum, Sfortiarum, Ursinorum, Medicæorum, Bentivolorum, Petruciorum, Fliscorum, Scaligerorum, &c. Hinc funestissimæ quondam Guelphorum & Gibellinorum factio-nes & id genus aliæ emanarunt, Quo respectu etiam in Gallia
Prin.

Principum vel è sanguine Regio extractorum potentia limitata & restricta est, ne facile rebus novis moliendis occasionem arripiant: exilisque in illo regno civitatum, quamvis populosissimarum potentia respectu Germanicarum liberarum, ut de ea causa in suis Parnassi relationibus Trajanus Boccalini consilium suggerat Principibus, ne patiantur in tantam istas potentiam excrecere tanquam formidabilem tandem & exitiabilem Principatibus: Verum Italicum est consilium, è Machiavelli machina petatum. Nemo enim, nisi Germaniæ frontis aut libertatis Teutonicæ osor inficias ibit, civitatum Imperialium corpus ornamentum non solum esse Aquilæ Augustæ singulare, sed & penum penè divitiarum, ac cunctarum totius Europæ negotiationum. Porrò potentia immoderatae modum quoq; injicere non difficile foret, si *avtaçueia* conducti Magnates rationi & modestiæ se subjugarent: Nam si Valerius Asiaticus è Romanis bis consul id observasset, & hortos, quos à Lucullo emptos insigni magnificentia extulerat, quibus Messallina Augusta, mox ob scelera angusta, inhibat, sponte ei cessisset, fraudes & pericula vitæ excussisset: Eadè ferè causa sapientiæ, id est, Senecæ mortis fuerunt. Cæterum, non nisi Tyrannnis boni quàm mali suspectiores sunt, semperque illis aliena virtus formidolosa est. Talis fuit Alexander in Antipatrum, Dionys. Jun. in Dionem, Tiberius in Germanicum, Claudius in Corbulonem, Nero in eundem, sicut etiam in Senecam, inque Thraseam illum constantissimum, Vespasianus in HELVIDIUM PRISCUM, Constantius in Julianum, & alii in alios. Respectu igitur subditorum magna Principis potentia salubrior magis tutior erit ac utilior, quam exitialis vel gravis, nisi admixta sit tyrannide aut sævo ministrorum præsidatu. Quod quanto damno ex intensa præsidum provincialium.



7
cialium manu vel potestate experta sit Domus Austriaca, superioribus seculis in Helvetiâ & etiamnum Iberica in Belgio, non tam historia ceu rerum humanarum Magistra, quàm bella ad huc cruda & crudelia luculentius testantur: Idcirco cum Veteres Romani tum moderni Hispani praesidibus vices suas haut perpetuas, sed intra triennii vel quadriennii metam concludunt; Accedit his, quod temperamentum non ultimæ fuerit lineæ, si Princeps aliquando regiones obeat, in praesidium actiones inquirat, & querelas subditorum, imprimis quas in praesides eorumque vicarios habent, coram cognoscat. Subsistite paulum in hac orbita, Principes, vestris resistite nervis absolutæ & formidabilis potentiae, remittite aliquando de jure, quod in subditos & cives exercetis; Potentissimus æquè ac Prudentissimus Tiberius, quamquam tyranni notam non effugerat, nihil tamen perniciosius arbitratur Principibus; quàm in extrema necessitate positos subditos, praesertim genere, affinitatibus & amicis pollentes ad desperationis redigere scopulos. Nam si corpus nostrum morbis obnoxium cum Hygiea in gratiam redire potest, ubi amaræ alicujus potioris calicem evacuarit, sapientis nã! Principis est, forti pectore amaræ dedecoris alicujus & injuriæ acceptæ phiolam exhaurire, ut Reip exulceratum corpus sanitati & splendori pristino restituatur, & ita majora evitentur, discrimina. Quoties itaq; Princeps rogatur, ut subdito vel civi eximio condonet, benignum vel cœlestis Patris exemplo se ostendere debet, & tali uti remedio, quò fontes nō modò se peccavisse obliviscantur, sed simul omnium imposterum patrandorum facinorum memoriam saluberrima ἀμνησία abjiciant; Eveniet alioquin, ut summum & exactum in omnibus quærentes, ea, quæ cum honestate & auctoritate concedere poterant, paulò post majora

rc



re cum dedecore illis cedere cogatur: Exempla hujus rei quovis aro sunt conspicua, è quibus popolare & nunquam oblivioni maximè Principibus involvendum; Carolo V. Cæsari Augustissimo quis majoribus devinctus erat beneficiis, quam Mauritius Dux & Elector Saxonix? nemo è Protestantibus illi clarior, aut ob suppetias latas charior; nihilominus, sicuti Principum corda Deo mutare facilimum, cum à Cæsare illusum & læsum se fateretur, detēto diutius, quàm promissum erat, in vinculis Philippo Cattorum Principe, cui fidejusserat, non fore ipsum perpetuum Cæsaris mancipem, cumque dimissione illius protracta de fide Cæsaris dubitaret, & interim apud Principes Germanix, imprimis captivi uxorem Mauritius malè audiret, capta temporis opportunitate, quo Cæsar Oeniponte nō multo comitatu degebat, nihil tale suspicans, quum in vallium angustiis strenuam speculatorum manum collocavisset; exercitū festinanter congregato vallium claustris occupatis fugatisque præsidiariis inceptum propositum incredibili ardore prosecutus improvisum Cæsarem Oeniponte morantē adortus, eumque pene intercepisset, nisi repentina fuga evasisset. Interea Mauritius suppellectile argentea, qua Cæsar mensis utebatur, arrepta Oeniponte triumphavit glorians fugatū à se esse Principē, quo inter omnes Christianos à Carolo Magno majorē nulla viderat ætas; ut inter alios etiā ex Italis narrat Ammiratus; Magni animi, maximæ imitationis è recentibus exemplū extat Principibus. Xequis, quāquā barbari Mauritania Regis, is n. ab æmulo Nazaro Regno pulsus fuerat anno post millesimū, quingētesimū nonagesimo quinto; Ubi ad Xequis victoris stapedā, proceres antea rebelles, deinde supplices accurrerūt, veniā humi strato corpore & abjectis armis implorātes, & criminis gratiā petētes, in eā nō modò eos recepit,

sed

sed captis quoq; Nazari Pseudoregis tentoriis ac suppellectili
omni, & in ea scriniis epistolarum & literarum arcanarum,
omnia cōcremavit optimâ fide, easque nō legit, multò minus
publici juris fecit. Noverat enim Xeques multos circa se in ca-
stris esse, qui Nazaro in arcano fidem seriò addixerant, si fors
tulisset, animum in tempore renudaturos, quos de pulso pe-
riculo in crimen vocari, & ad desperationem adigradolescens
generosus minimè æquum putarat. Quod inter veri & incom-
parabilis animi, invictæque sublimitatis exempla in C. Cæ-
sare laudat exactus virtutum æstimator Plinius, & nostra æta-
te æviterna nominis fama Henricus vel ob id cognomentum
Magni adeptus ostendit, dum potentia suavi in clementiam,
soluta *ἀμνησία* & perpetuâ rebellionum oblivione cum fide-
lissimis subditis pacificum florentissimumque regnum inivit,
retinuit, & ad primogenitum Ludovicum XIII. augustum
devolvit. Offert se præterea aliud insigne temperamentum,
Principibus, ut, ne infinitæ potentia abusu in gyros impoten-
tia abripiantur, consiliariis, ceu verè amicis ac patribus utan-
tur fidelibus, & in partem curarum proceres quoque & status
adsciscant: Nihil de Gallia vel Majoris Britannia Parlaman-
tis & Paribus dicam; nihil de Grandibus Hispaniarum; nihil
de Purpuratis Vaticanæ sedis; nihil de Sarmatia, Polonia, Un-
garia, Dania, Venetiis, & aliorum, Regnorum & Rerum-
pub. Proceribus, qui necessaria graviorum consiliorum, Reip.
summam vel salutem concernentium, pars: In Imperio Ro-
mano Germanico, cujus Augustissimæ columnæ sunt Electo-
res Principes, universum populum ex tot in sago & toga Prin-
cipibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus, aliisque Ordini-
bus compositum repræsentantes & illustrantes, sapienter
& Majoribus, & è ratione liberi Status liberrimè statutum est,
ut

ut in arduis negociis, Reip. Germanicæ salutem respicientibus Capiti suo ut summi & perpetui Consilarii fideles adstant, consilio id juvent, & sicut membra capiti, & caput membris arctè cohæret, mutuisque indigent vicibus, unumque sine altero vix benè habet; Sic amplissimum Reip. Romano-Teutonicæ corpus unanimi Capitis ac Membrorum maximè VII. virorum harmoniâ conjunctum felicissimè gubernatur. Quomodo compositæ Reip. huic quid in omni antiquitate conferri possit, non videre se fatetur, quanquam Gallici sanguinis, perspicacissimus historicus Thuanus. Concors hæc Capitis ac Membrorum harmonia terrori fuit hætenus non modò Turcis, ἀσπίδοις Christianorum hostibus; sed aliis quoque Germanicæ libertatis, ac supremi, quo gens nostra decoratur, axiomatis, æmulis ac osoribus: potentia, inquam, tam sanctè moderata invictam servavit Aquilam, & potentia suæ spicula qui adversus eam emisserunt, impotentes abierunt. Nec ulla dubietas bonis civibus vel Germano pectori tam sancti, tamq; augusti Imperii auctorem & firmatorem θεῶν ἰσχυρὸν Christum (qui Augusto prorsus omine non dedignatus fuit sub Augusto, primo & pacifico Cæsarem, humanam pro salute hominum induere carnem, sub Imperatoribus vivere, pati, mori, & totum redemptionis opus perficere, quique eorundem Imperium postea stabilivit Verbo suo, jubendo, quæ Dei sunt, Deo reddere, & quæ Cæsaris, Cæsari, tum & ejusdem Imperii metâ saniorum Theologorum judicio rediturus est vivos & mortuos judicare: Qualis prærogativa, & decus de nullo unquã regno vel Imperio dictum fuit, vel dici poterit) idem porro cum CAPITE ac MEMBRIS unitum, sanctum & cum orbis terrarum fine finiendum sanctè firmaturum ac defensurum.

Verùm à domesticis ac popularibus deflectamus paulisper ad extrarios, quorum infinita ac ingravescens potestas, quæ cæteros facilè oppressura sit, moderatioribus sæpè extitit

E

suspe-

suspecta : Unde licet juris privati dispositione novum opus absque Principis auctoritate facile permittatur, si tamen ad æmulationem vicini vel civitatis alicujus vergat, materiamve seditionis præbeat, tunc publico decreto destruetur : Sic in omnibus ferè factis & fatali quadam Imperiorum periodo observatum fuit, ingravescentem unius potentiam depresso sibi æmulam vel suspectam : Ita Persas Græci, Gracos; Campanos, Carthaginenses Romani devicerunt ; In tempore itaque moderamen adhibendum esse censent prudentes, quò ebullientes suspectæ potentiæ vires truâ discretionis subsidant ; Alioquin periculum erit, ut, si illam quis adoriatur, impar sibi perniciem accersat. Nam etiamsi ut hostem semel sternat, ei successerit è votis, tamen ipsi tandem ab hoste viribus resumtis non exile discrimen impendet. Huc tendit etiam prudentissimi Divi Augusti consilium, coercendi intra terminos Imperii successori Tiberio relictum, vel ideò ne fortuna, quâ in immensum creverat Roma, ancipiti bellorum aleæ subjecta in adversum niteretur : Et alium in finem nò respexit solemne Romanorum votum cōtra majores nostros, cum à Diis suis petiverunt discordiam illorum pro sua potentia & concordia firmanda; Maneat quæso, inquit Tacitus de mor. Germ. duret. que gentibus si non amor nostri, at certè odium sui, quando urgentibus imperii fati nihil jam præstare fortuna majus potest, quàm hostium discordiam.

Præterea impotentia & clades Principis, potentiam florentis temperare & fragilitatis humanæ admonere debet ; De Francisco Gallorum Rege à Carolo V. capto Historicus refert, illum victum tantum potuisse efficere, quantum incolumis vix ausus fuisset optare, & exemplo suo verum esse comprobasse, regum afflictas res multorum opes allicere ad misericordiam, dum quisque impotentiorum efficacius conditionis suæ admonetur : Nam Cæsar licet moderato animo successum hunc tulisset,

tulisset, invidiam tamen Italicorum Principum non potuit evitare, qui timentes rebus suis etiam non rogati consilia ultrò communicarunt, ut jacentem Francisci fortunam, quã poterant re sublevarent, & victoriam nimia prosperitate exultantem reprimerent. Hactenus Thuanus. Perseus Philippi filius ut regni, sic odii adversus Romanos heres bellum imprudenter aggressus, postea pœnitentia ductus Rhodiis se per legatos commendavit, ut ad curandam pacem cum Romanis auctoritatem suam interponerent; quod si hoc non impetrarent, saltem id agendum, ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat.

Constantinopolitani Imperatores eadem de causa prohibuerunt quondam, ne Gallis propter nimiam potentiam, cum Neapolitano regno Sicilia cederet; Itali cautè ibidem prospexerunt, ne in Italia alter alterum viribus excederet aut cujuscunque ope potentiam adaugeret, dumque Venetis ingravescentem potentiam inviderent, Hispanicam avertere non potuerunt.

Inter Gallos & Hispanos eadem Potentatus suspicio ac æmulatio tot bella; quæ quodam modò Junonis cura sunt suspensa, (gens utraque ut distincta Pyreneis & Amphitrite, ita natura Genii disparata,) insperata sæpius excitavit; intellexeruntque illi suppetias Batavis, aliisque confœderatis superiori æra ferendo Belgicam potentiam reparatis avulsis provinciis ut vicinam ita formidabiliorem futuram Gallia, tutam contra hanc, si Hispanorum excrescens potentia in illis restringatur vel saltem temperetur. Hanc in graves centem Iberorum præpotentiam cum priscis Teutonicæ libertatis adsertoribus moderni non in cassum suspiciunt. Tandem Divinam præpotentiam præcipuum esse humanæ potentiæ maximè ebullientis moderamen, nemo negabit, obedientiam scilicet: quam hominibus, liberi parentibus, uxores maritis, servi ac subditi

Dominis debent, hac restrictione reprimendam, ut, nisi nos aliò vocet Deus, illis obsequamur, veluti, si patres filios, Domini subditos ad impium cultum & contra præcepta divina urgerent, omnis enim potestas suos habet fines, ut Deus semper primum honoris & imperii gradum teneat;

A quo etiam internus ille & occultus in justæ & exorbitantis potentiaë tortor, vermis animæ, mala conscientia: Quare non frustra præstantissimus Sapientiaë firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus, quomodo & corpora verberib; ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur; Sic Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur: Idem de Caligula, Domitiano, Alexandro Magno, Theodosio licet Christiano Imperatore, & aliis, qui potentatus vi abusi sunt, prodit temporis Magistra. Sed abrupto, & cum ingravescenti potentiaë fines ægerimè ponantur, vela subduco & finem facio.

*Sit modus Imperii, sint certi deniq; fines
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

D I X I.

Actus

Actus Promotionis.



In conspectum produco vobis, Auditores Spectatissimi, Amplissimi, Lectissimi, quatuor, genere, virtute, & eruditione clarissimos Viros Juvenes, qui jam pridem in hac & aliis Germaniæ celeberrimis Academiis, & quidem omnes & singuli, quod singularis beneficii, & boni ominis loco interpretor, extra Germaniam in florentissimâ Galliâ & fortissimo Belgio specimina ingenii, doctrinæ, experientiæ, dexteritatis, & innocentia morum eximia præbuerunt, ut & iisdem in hoc Lyceo præclarè editis & comprobatis privatis publicisque examinibus, eos amplissimus Jctorum ordo judicavit dignissimos, quibus supremi in utroque jure honores concessu Principali solenniter conferrentur.

Ex istis primùm se ostendit Clarissimus Dn. Licentiatuſ DANIEL BURCHARDI, Magdeburgensis, de cujus egregiis ingenii dotibus & honestè formatis actionibus plura dicere supervacuum autumo, cum superioris autumnii metâ ei tum Licentiaturæ, quam vocant, dignitate à me collatâ, accuratam Vobis ejus Patriæ, parentum, vitæ, eruditionis, Virtutum, ac peregrinationis, laudatissimorum studiorum telam ac profectus in auditorio Themistio brabeuta itidem exposuissem, ut nihil addendum illis putem aliud, quam quod interea semestri hoc emerita Themidis Licentiâ arripuerit licentiam, in illustri Salanâ lectissimam Virginem ingenialis tori sociam ex animi sententiâ cooptandi; quod conjugium ipsi tam secundum porrò precamur, quàm alterum, cui mox eum alligaturus sum Themistium, facundiâ solerti & docta fœcundum.

Proximum ab hoc locum sortitur Dn. JOANNES CHRISTOPHORUS HARTMANNUS, ex claro & antiquo HARTMANNORUM

rum genere, quod ultra duo secula in TURINGIA & FRANCO-
NIA floruit, fatus, cujus avus JOANNES HARTMANNUS pruden-
tissimus fuit & honoratus Academiae hujus civis, & Bibliopo-
la, deque re literaria tam praeclare meritus, ut propriis, iisque
maximis sumptibus Biblia & quidem Hebraea triplici forma,
quarta nimirum, octava & sedecima, Germanica verò in folio
grandiusculis typis, inter alios utilissimos libros impressos
publici fecerit Juris; subacti ingenii, solidaeque doctrinae mo-
destia composita Juvenis, quem cum liberiori fronte & prisca
fide Ornatissimus FRIDERICUS HARTMANNUS civis itidem,
Bibliopola ac Typographus hujus Academiae Spectatis. à pri-
mis statim annis praeclaris. MAGISTRIS & DOCTORIBUS, inter
quos primas duxerunt, praestantissimus Politicorum DN. D.
HENNINGUS ARNISÆUS, M. PANCRATIUS CRUGERIUS, M. CA-
LEBUS TRYGOPHORUS, & aliis in disciplinam tradiderit; tantos
in humanioribus & Philosophicis studiis profectus fecit, ut
majori postea cum laude & utilitate hanc politam nitidamq;
bonarum artium suppellectilem in Legum & Justitiae sacrari-
um, maximorum JCtorum exemplo intulerit; Neque enim
illorum moramur judicium, qui Jureconsultos juxta philo-
logos praefastu fastidiunt. Si JCtos etenim illos intelligunt,
qui cuius causae, mala sit vel speciosa, nihil refert, cereum as-
ptare nasum & lucri causa ex lite serere lites callēt, validè palāt,
se solidae Romani Juris scientiae, quae sine Philologia, historia,
& antiquitatum studio juris esse non potest, Doctores, illis bo-
ni non sunt, qui conscientiae ducunt ex prava causa utilitatem,
hoc est, lucrum eruere.

Ceterum maximi nominis JCtos insignes practicos, ex-
imios quoque fuisse philologos & Historicos, neminem late-
rere poterit, nisi quem horum scripta & fama sempiterna, Ni-
hil edicam de politioris Themidis inter Gallos luminibus,
Budæo, Duareno, Cujacio, Hottomanno, Donello, Mercerio,
Roberto, Contio, Lectio, & Gothofredo, (his posterioribus

duobus hospite illo ac præceptoribus meis quondam vivis
novi enim à forensibus eos inter Theoricos & scholasticos
duntaxat censerè, producam vobis ex eadem gente Cravettas,
Paponios, Tholosanos, Boerios, Tiraquellos, Fabros, Thua-
nos, Rigaltios, Chopinos; &c. Ex Italis Jasones, Al-
ciatos, Menochios, Decianos, Pancirollos, Claros, &c.
Ex Hispanis Covarruvias, Vasquios, Gomastios, Delrios, Pala-
cios rubeos, &c. E Germanis nostris, Zasios, Wesenbeeios, Co-
leros, & qui adhuc vivunt, PRUCKMANNOS, VULTEJOS, Gœd-
DEOS, POLENIOS, &c. qui non modò in singulis gentibus signi-
feri & Magistri Jctorum, qui non modo praxi tantùm, sed so-
lida veraque scientia Prudentes dicendi, sed etiam politico-
rum literarum ac imprimis historiarum peritissimi fuerunt,
& adhuc summo Reipub. còmodo hujusmodi *αὐζουσία* profunt.

Porro in hoc politissimo Astreæ stadio noster HARTMAN-
NUS imprimis usus fuit Præceptoribus, Dn. MATTHIA POLE-
NIO Jcto, nuper antecessore celeberrimo, nunc Serenissimo
Electori ab intimis consiliis publicè; M. CHRISTOPHORO NE-
ANDRO Profess. Ethices ac Politices elegantissimo privatim;
Hanc telam, quam hic feliciter exorsus erat, auspiciò perte-
xuit in illustriorib. Germaniæ Academiis, In Salana quidè sub
FOMANNO, ARUMEO & SVEVIO; In Marpurgensi VULTEJO &
GœDEO, ne dicam de aliis uti Basileensi, Heidelbergensi, ubi
Lingelshemio GOTHOFREDO & BACCOVIO innotuit, Argenti-
nensi, ubi MEJERO, Lipsensi in qua FR. ROMANO, Witte-
bergensi, ubi REUSNERO & FORSTERO, Rostochiensis in qua
COTHMANNO, omnibus & singulis celeberrimis Jctis, operam
impendit, Colonensi ad Rhenum, & Giessena Cattorum, u-
bi solers quoque jura docentes audivit & cum præcipuis Du-
cibus & Antesignanis amicitiam iniit; In Patriam cum bi-
ennio superiori redux esset, nulli non illius mores, studia &
profectus illustres probabantur, ita ut Magnificus ac nobilif-
simus

simus Vir D. JOHANNES à Benckendorff/Serenissimo Electo-
ri Brandenburgico à consiliis & Neo-Marchicæ Cancellarius
in Pammin & Drenou hereditarius, literarum, literatorum
ac hujus Academiae favitor præclarissimus, illius fidei ac tute-
læ in Gallicis peregrinationibus, in quibus LUTETIAM τὴν Πι-
τονίαν orbis, oculis animoque prudente excoluit, ubi non tam
excelsæ Luparæ moles, pontes, plateas & palatia sustinentes,
totque stupenda artis & naturæ miracula notavit, sed impri-
mis supremi Senatus mores, consuetudines, & Advocatorum
facundiam & ingenia non tam observavit, quàm ad imitan-
dum sibi perposuit, unicum Filium commiserit, nec frustra,
superiori quippe anno in Galliis, ubi cū biennium cum laude
transegerat, prosperè redux patri unigenitum exactis inge-
nii corporisque dotibus excultum redhibuit, ut hoc nomine
Benekendorfforum domus in Candidati nostri dignitates ul-
tra augendas ultro sit proclivis.

Eandem cum prioribus studii vel stadii Academici ratio-
nem iniit Dn. PHILIPPUS NEIDLINGER, Freistadia Silesius, qui
non tantùm in florentissima schola Gorlicensi, sed & in clutis
Academiis Jenensi & Marpurgensi, animum bonis literis, im-
primis legitima scientia imbuit, ut usus præstantissimorum
Jctorum conversatione augustos fecerit progressus: Præterea,
ne ad focū paternū prudentiam solūm quævisse vel fungi in-
star aut peponis in Politicis congressibus & inter viros corda-
tos censeretur, peregrinationibus inniavit, nec inhiavit mo-
dò, sed perlustratis Heidelbergensi, Argentinensi & Colonien-
si Lyceis, in Galliis quoque matrem reliquarum Parisiensem
& amœnissimam ad Ligerim, Germanicæ gentis ibidem de-
gentis fautricem & fotricem Aurelianensem, in Brabantia
Lovaniensem Iusti Lipsii manibus nobilem, Academiis adi-
vit, donec in Patriam civilibus lituis ac litibus tunc fessam re-
vocatus nobilissimis Equestri ordinis juvenibus imprimis
Joachimo

Joachimo Friderico à Dyhrn in virtutis & bonarum artium
semita rectè formando admotus fuit, cum quibus pacatè heic
vixit, & publico non minus quam privato juri insignem ope-
ram navavit.

Iisdem denique vestigiis institit D. MATTHÆUS COLE-
rus, Witebergensis, cujus patrem, avumque maternum Mar-
tinum Colerum & Matthæum Wesenbecium Jctorum api-
ces, qui ignorat, juris eum & in schola & in foro valde ignarum
esse oportet: Cæterum cum hæc demum vera laus sit, non
tantum clarissimis Parentibus esse prognatum, sed eorum
quoque virtutes & facta fideliter exprimere; utrumque in par-
tem laudum tuarum vergit; Posteaquam enim cum fratre jam
fatis functo, & sorore tū bimulā, MARTHA (quàm honoris cau-
sa in Christo ante sesquiannum obitam, piam quondam & fi-
dissimam in me conjugem heic publicè honora mentione
nomino,) patriam mutare & cum avia Martha Buchnera pa-
tricia Lipsensi, prisca frontis ac probitatis matrona, vidua
Wesenbeciana adactus fuisset respicere exteras oras, & primò
Soraborum metropolin, in pueritiam ejus veræ pietatis & bo-
narum artium principiis excolendam, intenta unicè fuit opti-
mæ memoriæ avia; Cumque id ætatis attigisset, quo parentum
studia & famam super æthera notam ingenio sectaretur, & am-
plissimas Patris, Avi, Avunculi Bibliothecas non tineis & ver-
mibus rodendas relinqueret, sed studiis rigandas, in Patriam
Witebergensem se contulit Academiam, ubi REUSNERO ac
FORSTERO plurimum addictus Themidi primum litavit: Hinc
in Heidelbergensem velut amplissimum jurisprudentiæ & e-
reditissimorum hominum emporium profectus, singularem
amicitiã cum REINHARDO BACCOVIO Jctorum acutissimo
& eruditionis omnigenæ nostri temporis oraculo, è cujus
quotidiana conversatione singulis diebus doctior evaserit,
contraxit.

F

Ejus-

Ejusdem judicium acrius subegit DIONISIUS GOTHOFREDUS, venerandus Jctorum Nestor ille librorum heluo: Quibus subnecto PHILIPPUM HOFFMANUM & DANIELEM NEBELIUM Theorico practicos solidos, eminentissimos, chara mihi lumina, quibus omnibus quatuor, quicquid principii in jurisprudentia hausit, secundum Deum acceptum fero; iisque in loco Martialibus furiis jam turbato degentibus tranquillitatem tutam brevi gratus precor & exopto.

His Doctoribus non sine fructu in juris utriusque orbita rectus & ductus ingenii faturam tam solers expolivit, ut parata sibi certa studiorum fiducia in amoenissimam quoque Galliam, delicatissimam Angliam & fortissimum Belgium contenderit. In quibus provinciis cum linguæ Gallicæ usu comparato, Respub. & mores hominum exactè perpendit, ut ex iis discursum formare modestè norit & natura ab avo patreque insita ductus paucis verbis, cogitationibus tamen solidis multa malit comprehendere, quam multis pauca; Sic sapientis est semper plus audire, plura cogitare, pauca dicere; quæ majoris effectus capaciora erunt, ubi rebus tractandis vel parentum exemplo in publicum emittendis ingenii laboribus cum bono Deo & die se totum consecrabit.

Priusquam verò in ulteriores me trudam curas & adoras legitimè meritis vestris conferendas, priscus mos & statuta exigunt, ut in amplissimo hoc confesso ingenii & eruditionis vestræ specimina edatis, Candidati lectissimi;

Quare, præstantissime HARTMANNE, ex jure Canonico repete & succinctè expone nobilem textum in c. dudum X. de præsum: ex eoq; assigna rationes nobis tam dubitandi quam decidendi, quare is, pro quo beneficiando, ut cum Canonistis loquar, à Pontifice rescribitur cum clausula, si idoneus fuerit, non teneatur postmodum probare se idoneum, sed idoneus præsumatur.

(Hujus

(Hujus cap. repetitio in fine sub lit. A.

*Sicut & reliquorum relectiones & orationes ordine literis
notata reperiuntur.)*

Propositus canon eleganter ac eruditè à te enodatus fuit,
ut ita facilè quivis de doctrinâ tua in juris latifundio solida
solidum sit laturus judicium. Adeo temperare mihi nequeo,
quàm ut distributivæ justitiæ obsequiosus primoribus vos
Astrea honoribus decorem.

*Conscendite itaq; ima Themidis subsellia, Candidati
probatissimi.*

Promotio Baccalaureorum.

Quod Ecclesiæ Reique publicæ salutare sit ac utile in no-
mine sacratissimæ Trinitatis Dei Patris, Dei Filii, Dei
Spiritus Sancti.

Ego CYR. HERDESIANUS J. V. D. & Pandect. Prof. Pub. p. t.
Academiæ hujus inclutæ RECTOR, PROCANCELLARIUS PRO-
DECANUS & Promotor ritè designatus.

Vos omnes ac singulos.

Te D. JOHANNEM - CHRISTOPHORUM HARTMANNUM,
FRANCOFURTANUM MARCHICUM.

Te D. PHILIPPUM NEIDLINGERUM, FREISTADIA SIL.

Te D. MATTHÆUM COLERUM VVITTEBERGA SAXONEM.

Juris utriusque BACCALAUREOS creo, renuncio talesque
vos ab omnibus haberi ac honorari cupio, decerno, in super
Vobis omnia, quæ Baccalaureis jurium competunt privilegia
impertiendo.

*Ad Cathedram solitam vos recipite Baccalaurei
prestantissimi.*

VT tui quoque progressus, quos in utroque jure exantlatis
laborib. fecisti, in amplissimorum auditorum judicium

penetrēt, eja! doctissime, Baccalauree COLERE, accuratè re-
te & explica L. non omnium D. de LL. ex quo textu doce, qua-
re & quomodo non omnium, quæ in jure nostro extant, ratio,
quæ tamen legis anima perhibetur, dari possit.

(Repetitio habetur in fin. lit. B.)

Nunc ut ad reliqua pergamus; medios Cathedræ gradus
occupate, Baccalaurei florentissimi.

Promotio Licentiatorum.

VT igitur iusta mercede exantlati vestrorum studiorum la-
bores pensentur, & simul inuncti muneris obligatione
solutus vestræ expectationi satisfaciam.

Omnipotentis Dei numine iterum invocato ex com-
missione Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Dn. Dn.
GEORG. V VILHELMI MARCHIONIS BRANDEB. S. R. Imperii AR-
CHICAMERARII ac ELECTORIS & C. HUIUS ALMÆ UNIVERSITA-
TIS DOMINI ac CANCELLARII SUMMI, Principis ac Domini no-
stri Clementissimi, cuius in hac parte vicem gero;

(Hujus Commissionis tenor prius publicè prælegitor.)

Utraq; Commissio habetur in fin. lit. C. & D.

Hoc inquam nomine ac nomine.

Te D. JOHANNEM CHRISTOPHORUM HARTMANNUM
FRANCOFURTANUM MARCHICUM.

Te D. PHILIPPUM NEIDLINGERUM FREISTADIA SILESIUM.

Te D. MATTHÆUM COLERUM VVITTEBERGA SAXONEM.

Utriusque juris, Pontificii ac Cæsarei Licentiatos creo,
renuncio, concedens vobis insignia Doctoralia, cæteraque ad
id pertinentia petendi Facultatem, ad honorem omnipotentis
Dei Reipub. ac vestrum & aliorum commodum & salutem.

*(Licentia tis locus jam supra Decanum Facult.
Philosophicæ assignatur.)*

Interea

Interea Musica intonatur, adaptata Echo Poetica

gratulatoria HARTMANNO dedicata, in fine sub lit. E.

Recipite vos, Clarissimi Licentiati, ad Cathedram solitam,
Et quia Academiae mos imperat, ut Licentiati gradu ac ti-
tulo decorati de aliqua parte juris nostri orationem habeant,
qua & specimen ingenii & eruditionis suae publicè edant, &
coetum scholasticum erudiant:

TU, adolescens, modestae frontis ac optimae spei de
more consueto propone quaestionem aliquam practicam
D. Licentiato DAN. BURCHARDO auditoribus resolvendam.

A FRANCISCO OMICHIO, Dn. FRANCISCI MEDICI
& PROF. CL. FILIO.

Quaestio proposita, talis fuit.

Utrum & quomodo per ultimam voluntatem liceat mu-
tare vel penitus tollere pacta dotalia?

(Hujus Responsio & resolutio collocatur in fine sub lit. F.)

TV quoque Clarissime Dn. Licentiate NEIDLINGERE resolu-
ve practicam illam & feudalem quaestionem, An filius &
adgnatus repudiata hereditate retinere possit feudum antiquum,

(Responsio habetur infra. lit. G.)

Noscitur ungue leo, laudatur voce volucris,
Lingua virum vires ingeniique docet.

Nemo, ni fallor, ex vobis est, auditores hospites ac specta-
tores amplissimi, lectissimi, qui eruditione ac virrutibus no-
strorum Licentiatorum cognitis ipsorum partibus ac artibus
ad altum honoris theatrum evehendis & decorandis porro
non faveat, foveatque mecum votum, ut suprema juris utrius-
que insignia ac honores vobis conferam:

Neque ego fato votoque tam candido mea mora relucta-
bor.

F 3

Pro-

Promotio Doctorum.

QUod igitur felix, ecclesiæ Dei & Reipub. salutare sit, auctoritate publica, qua in præsentiarū fungor, communi collegii Jctorum nomine,

Ego CTR. HERDESIANUS J. V. D. Antecessor, p t. Academiae Rector, ad hunc Actum Decanus & Promotor ritè designatus.

Te DN. DANIELEM BURCKHARD: MAG:

Te DN. JOHANNEM - CHRISTOPHORUM HARTMANNUM MARCHICUM.

Te DN. PHILIPPUM NEIDLINGERUM FREISTADIA - SILESIÛ.

Te DN. MATTHÆUM COLERUM WITTEBERGA SAXONEM.

Doctores utriusque juris tam civilis, quam Canonici creo, promoveo & renuncio, in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti, vobisque omnia privilegia, immunitates & insignia, quæ Doctoribus juris supremæ potestates concesserunt, impertior.

Liceat vobis deinceps jura publicè, privatimque docere, consilium clientibus majori cum fructu suggerere, de Reipub. administranda debite susceptis deliberationibus interesse, & denique omnia Doctorum munia in vos recipere, administrare actueri.

In tantæ rei testimonium sapiens antiquitas certos adhibuit ritus, non tam, ut dignitatis hujus splendor magis magisque in cunctorum oculos incurreret, quàm ut forent signa & tessera vocationis eorum, quibus facultas conceditur publicè docendi, disputandi, & de jure respondendi & sic de rebus omnium maximè necessariis admoneantur.

JURA-

JURAMENTUM.

Ante omnia impositis primoribus digitis manus dexterae Sceptro Academico juramento vos justitiæ ac universitati huic obstringatis.

(Tenor juramenti extat in fin. lit. H.)

CATHEDRA.

Ac primùm vos ex inferiori loco seu cathedra ad superiorem hanc & nobiliorem voco transfero.

Quod muneris vestri imposterum erit tessera, ut Licentiam ex hoc loco docendi nacti seriò cogitetis, non tam locum ornare hominem vel Doctorem, quàm Doctorem locum; ut ab omnibus ex eminentiori loco conspecti sana dignaque illo doceatis atque proferatis.

Interea jocalia & munera hospitibus distribuuntur & Puer etiam de more recepto cantat in laudes Doctorum integram

Odam, quæ habetur lit. I.

LIBER APERTUS ET CLAUSUS.

Deinde libros hosce vobis trado & primò quidem apertos, quò periculosum atq; temerarium esse inconsultis & non inspectis libris de jure respondere recordemini, admoniti simul, sine cortice, quod ajunt, natate, qui suis opinionibus ac placitis duntaxat se aliosque satagunt saginare, ne dicam decipere: docti hi Magistri, fideles consilarii, exsortes affectuum, nescii assentationum.

Eosdem libros clausos vobis porrigo, ut memoriæ commissa aliquando sine libris depromere, Juro incumbere meminertis, quanquam is ex tempore non ad quælibet sit astrictus de jure respondere, quod enim rectè fieri debet consulto & deliberatione opus est.

PILEUS.

Ad pileum vos etiam voco, hoc est, ad libertatem & ad

veram nobilitatem, quam purpureus iste color olim Imperatoribus, Regibus, Senatoribus Romanis, hodieque potentissima Reipub. Venetæ Magnatibus & Cardinalibus proprius, indicat; In spem & omen purpurea mitra vobis imponitur, fore, ut aliquando eveci ad summas dignitates vestri ordinis & Doctoralis pilei, cujusmodi sæpè sordet iis, qui à villa nobiles vocari malunt, quàm à virtute & Doctrina, immemores, illius gradus opera & via se ad alios dignitatum gradus pervenisse, memoria grata, eum profiteri nunquam rubeatis; Sanè Paulus V. Borgesius Rom. Pontifex nō ita pridem humanis exemptus, utriusque juris Doctor & Professor ab initio fuit, hacque via per gradus summum rerum humanarum fastigium attingit, Nequaquam moveamini quorundam vel ex ordine togato cavillis, cum longè infra se habeant Doctores, sæpeque despiciant, ignari & ex priscis modernisque Teutoniæ Principibus Licentiatos & Doctores aliquos emicuisse. Sicut & in Italia Anglia & Hispania plerosque ex Principum, Comitum, Marchionum & equitum tribu gradus hosce scholasticos sine opprobrio adsumere, paucissimos è plebeis, tralatitium est.

ANNULUS.

Digitos etiam vestros aureo annulo orno, quo vobis sanctissimam & nobilissimam virginem JUSTITIAM despondeo, hanc vobis individua vitæ sociam conjungo, hac divini & humani juris communionem vobis impertior, & ideo cavete, ne ex matrona hac castissima faciatis meretricem, ex regina tyrannam, ex matre novercam.

In annulo aureo prisci quatuor maximè considerarunt, ratione materiæ soliditatem & puritatem hujus metalli, in forma splendorem seu nobilitatem.

Per soliditatem singuli monentur, ut cum ex tranquilla & undique suavissima studiosorum vita in humanarum
actionum

actionum scævum & intractabile pelagus translati, tædioso-
rum laborum fluctibus exponamini: ut invidiam ac odium, si
veritatem, quæ inseparabilis *JUSTITIÆ* dextra est, dixeritis, in-
curratis: solidos vos & constantes esse oportet & si tempus &
locus jubet Papiniani potius nostri fratricidium à Caracalla
patrati defendere & excusare nolentis occisi martyrium subi-
re, quam cōscientiam sauciare, ut, si lucrum vel domini metus
vacillantes vos in via *Justitiæ* reddat, Papiniani perseveranti-
am & soliditatem auri, vel ignis vim temnentem, si periculi
tempestas, si procella odii, si favoris aura de recto cursu vos sa-
tagit dimovere, respicite: breviter, custos vobis & dux sit Papi-
nianus; Denotat deinde puritas, ut manus alieno abstinenceis,
incorrupti jus dicatis & tractetis, fugatis *αἰχμηεργειαν* & avari-
tiam, velut omnium malorum radicem: Si improbum est, teste
Tullio, relinquere honestatem propter utilitatis magnitudi-
nem; decorum ac probum erit, ut pauperes ac egenos, impri-
mis pupillos ac viduas derelictas non minus consilio vestro
juvetis, quam clientes nummis promptos, non magis vos cla-
mor agni, quam desiderium clientis pauperis ad juris reddi-
tionem excitabit.

Rotunditas annuli ut finis exors est, ita scitote despon-
sam vobis jurisprudentiam sine fundo esse, ut perpetuo in ea
aliquid discere pergatis: veniat vobis in mentem annuli ro-
tunditate Pomponii aurea vox, quæ in libris juris nostri ex-
stat Ego, inquit, discendi cupiditate, quam solam vivendi ra-
tionem optimam in octavum & septuagesimum annum duxi,
memor sum ejus sententiæ, quam dixisse ferunt Julianum: etsi
alterum pedem in cymba Charontis haberem, tamen discere
vellem: Indicat etiam annuli rotunditas dexteritatem in jure
Respondendi & consulendi: rotundè LL. legite & facto appli-
catis jus, ne cerei instar nasi torqueatur, rotundè causarum pa-

G

tro-



patrocinium in foro suscipite, non lucri causa clientes emungite, nec in abyssum processus & dispendium famæ sumtuum & ipsius aliquando animæ clientes vestros præcipitate.

Innuat denique splendorem & dignitatem annuli gestatio, quem splendorem cavete ne obfuscetis inhonestis ac turpibus actionibus; sed in omnibus cum Papiniano eodem sanctissimo Jcto sanctè credatis, facta, quæ lædant pietatem, estimationem, & verecundiam nostram & contra bonos sunt, nec facere nos posse nec debere.

OS CULUM.

Addo his tandem osculum & amplexum, quo ad concordiam, qua res magnæ crescunt, ut discordiâ dilabuntur maximæ, in societate hac civili seriò monemini; jurgia, rixas ceu bonæ mentis flagella ac pestes fugite, amicabili compositionis via cuncta prius tentate, quam Rostra pulsentur pecuniosa, abstinete voce & scriptis, studio cavillandi & convitiandi, quo nihil aliud quàm discordiæ gliscunt, cumque privata publicæ simul rei clades infertur.

PRÆCATIO.

Postremò Deum æternum, Patrem Domini nostri JESU CHRISTI, una cum Filio ipsius coæterno Domino ac Emanuele nostro ex intimis cordis penetrabilibus oro, ut vos & nos omnes suo Sancto Spiritu clementer regat & gubernet, ut in omni vita nostra piè, justè ac sobriè viventes, in Ecclesiæ gloriam, Reipub. utilitatem, communis patriæ decus, bonorum patrocinium, malorum discidium

dium & justitia incrementum, ut tandem Iustitia
perpetuam coronam justificati fide in Christo Salva-
tore omnes & singuli cōsequamur: Quod faxit Deus
trinus & unus Alpha & Omega.

GRATIARUM ACTIO.

Super est ultimum, quo huic actui finis imponatur, id est,
gratiarum actio, quam tu clarissime Domine Doctor COLERE,
non gravatim habebis.

Quæ extat sub lit. K.

Habita gratiarum actione & pa-
negyri dimissâ ante egressum
ex templo.

CANTICUM D. AMBROSII
ET AUGUSTINI.

*Musici V. Vocum numeris compositum diviso
psallentium choro ad modum X. vocum in choro & organo
alternatim & conjunctim cecinit*

STEPHAN. HÖPNERUS, CANTOR ORDINAR.

Ex templo ad diversoriū WIN-
CLERIANUM hospites se contulerunt, quos
XVIII, mensæ instructæ & singularis gratiarum,
actio excepit denuo, quæ habetur.

Lit L.

G 2 De

Lit. A.
DE PRÆSUMPTA AD
dignitates idoneitate.

Ad c. Dudum. 16. X. de presump.

Repetitio

DN. JOH. CHRISTOPH. HARTMANNI.



Etustas Illustris. & Celsis. Princeps. ac Domine,
Domine clementis. Magnifice Dn. Rector, Viri Re-
verendi, Nobilis. Amplis. Claris. tuque studio-
forum flos & Corona, vetustas, inquam, Memnonis
quondam statuam fabulata est, quæ licet marmorea, Solis ta-
men radiis exposita, loquuta & humanas æmulata voces. Mit-
tamus fabulas: Vos Sol ille estis. Vestra enim clementia & fa-
vore, quem ex vultu benigno colligo, irradiatus, totus ita ani-
matus reddor, ut aliàs satis timidus, quasi extra me rapiar &
singulari thyrso ad exiguas genii & ingenii dotes exprimendas
inflammor.

Propositum itaque c. Dudum, f. extr. de præsumpt. ut ag-
grediar, agitur ibi de eo, qui collationem beneficii Ecclesia-
stici impetravit. Facti speciem an ponam? Ponam. Innocentius
Pontifex Titium voluit recipi in clericum Ecclesiæ Mediola-
nensis, idque fieri debere mandavit rescripto, sed hanc ei in-
seruit clausulam (si idoneus fuerit) Presbyter Ecclesiæ memo-
rata asseruit, Titium non esse idoneum ad hujusmodi benefi-
cium obtinendum: Quæritur, num Titio incumbat probandi,
se idoneum, necessitas? Quia verò (juxta consultissimi Impe-
ratorum concinnam sententiam) per rerum permissionem
non rarò quandam introducimus difficultatem. §. *sed non. 3. l.*
de Legat. ne tale quidpiam mihi occurrat, mentem à veritatis
tramite

tramite abducat, suumque hic & locum & auctoritatem indi-
piscatur, præmitto, idoneum aliquem posse intelligi altero de
duobus modis. Uno, quoad qualitatem naturalem, sicuti quo-
ad corporis sanitatem, intellectus vigorem, vel quid his simi-
le: Altero, quoad qualitatem accidentalem, quæ duplex, in-
trinseca & extrinseca. Illa subjecto inhæret, ut est literarum
& præstantium rerum scientia: Hæc subjecto cohæret, ut sunt
locuples domesticarum facultatum suppellex, urgens rerum,
omnium egestas & alia. Hoc posteriori modo idoneitatem si
considerem, Titium, ad clericatum his verbis rescripti pro-
motum, (si idoneus fuerit) ejus probationem præstare oportere,
autumem. Sed causa quæ? Idoneitas ad beneficia Ecclesia-
stica vel dignitates egregias, nec animis hominum à natura
est tributa aut imbuta, nec à legibus talis præsumitur *gloss. in c.*
si forte. verbo scientia. de Elect. & Elect. potest in 6. Quis enim
omnium rerum adeò est ignarus, ut nesciat, non per viam
mollem & planam, rosisque & violis constratam, quamvè vi-
ridantes omni ex parte opacent patularum arborum comæ,
sed asperam & inamœnam, & veluti per Athonis & Cauca-
sive, per ferventes Lybiæ arenas, sudore multo, & difficultate
indefinente, ad auream Pallados contendendum esse aulam,
Doctrinarum epulas lautissimas, scientiarum dapes saluber-
rimas, artium cupedias exoptatissimas, non, nisi Herculeis
exantlatis laboribus, oris hiatui instillari, non, nisi plurimis
perpersis vigiliis, labiorum contactu apprehendi? Claudianus
non vanè mihi visus canere,

*Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hybleos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos,
Armat spina rosas, mella tegunt apes.*

Caterùm, si conjecturis & præsumptionibus liquidò constet,

G 3

Ti-

Titium satis esse idoneum, putà si Eruditorum iudicio & o-
pimorum conspirante consensu, idoneus fuerit cognitus, ei
probationem ulteriorem imponere incivile duco.

Ad priorem idoneitatis significatum festino, quò, ut di-
xi, capitur pro qualitate naturali, atque ita seminibus quibus-
dam, homini, dignissimæ creaturarum, *l. justiss. mè. 44. de edil.
edict.* a naturâ insitis & inspersis: Ac si verba rescripti ita cons-
cepta sint, (si idoneus fuerit,) hoc casu non requiri à Titio ali-
quam extrinsecam probationem, sed sufficere ipsam juris
præsumptionē, quam pro se habet, docet text *in c. n. consonat c. 1.
extr. de scrutin. in ord. fac.* Quid ita? juris præsumptio ab onere
probandi relevat. *l. si vè possidetis. 16. C. de probat.* ideoque, alio
non adducto, pro veritate & documento idoneo habetur *l. f.
in pr. Quod met. caus.* & liquidissima probatio perhibetur. *l. licet.
74. de Leg 1.* Adde, quod hæc clausula, (si idoneus fuerit) cum
ejus sit naturæ, ut tacitè subintelligatur, etiam si adposita non
sit. *c. cum adeò. ubi g. off. de rescript.* monitionem potius importa-
re, quam gratiam seu rescriptum conditionale reddere censea-
tur. *gloss. in Clem. 1. de offic. & potest. jud. delegat.*

Hinc legatum servo relictum, si promeruerit, non ag-
gravare legatarium, ad ostendendum, se benè meritum sed he-
redem, si vult, indignitatis probationem præbere debere, con-
stitutum est *l. servos. 20. de manumiss. testam.* Simili ratione di-
ctum est, quod non solum quilibet bonæ f. credatur esse posses-
sor. *l. pen C. de Evid.* verum etiam divini timoris memor. *l. sancimus. 6. §. & licet. C. de L. Jul. repet. c. sancimus. 2. quest. 7.* legumque
& honestatis stadium in ambulare, ac jure suo uti existimetur,
ad exclusionem delicti, cuius, quale quale sit, consilium quem-
piam iniisse, præsumendum non est *l. meritò. §. 1. pro soc.* Nec ta-
men illud prætermittendum, idoneitatem intrinsecam præ-
sumi, nisi agatur de præjudicio tertii, aut utilitate animæ,
vel

vel qualitas illa requiratur à statuto vel lege, in supremo gradu, vel aliud inducatur ex actibus precedentibus & curriculo vitæ antea actæ. *De communiter.* Sentio, non defuturos, qui istam qualitatem bonitatis & ceterarum virtutum mortalium, non homini naturaliter sed accidentaliter, more scilicet vel assuetudine competere, arbitrentur, & Justiniani auctoritate in melitentur. Naturalia, inquit, generi humano ab ipsa rerum natura indita, semper firma atque immutabilia permanēt. *§. pen. I de N. G. & C.* Sed homines assuetudine, velut Circe herbis & cantibus, mutantur, & non rarò contingit, ut qui virtutum omnium pulchritudine fuerint commendatissimi, ab æquitatis linea, justitiæ ambitu, modestiæ peripheria, deflectere incipiant, & contrariis atque inter se pugnantibus fœdissimarum libidinum flatibus agitati in omnem scelerum ac flagitiorum turpitudinem

ferantur

Præcipites, at saxa jugis abrupta quibus mons

Subtrahitur.

Viceversa, qui infami sæpè vitâ, moribusque perditissimis polluti & ferarum vixerint simillimi, ad virtutem à vitio, ad rationem à furore, ad humanitatem ab immanitate revocentur. Ista nec obficere difficile est, & refellere tam in proclivi, quàm imber, quando pluit. Namque sunt in homine aliqua, ex solius naturæ instinctu, & ista mutari vel everti nō possunt: quædam sunt in eo præsumptivè, & ista mutari quandoque & corrumpi, non diffiteor. Bonitatem autem præsumptivè nostris inesse animis, ambigere qui possumus? Oritur illa ex legum notitiâ, vitâ non ratione, factis non dictis, moribus non sermonibus exprimendâ, quam cum quilibet habere & teneatur. *l. leges. 9. C. de LL. & præsumatur. l. quemadmodum. 7. C. de agric. & cens.* bonitatis opinionem jure bono cuilibet comparat. Porrò, creati sumus boni, ab universitatis hujus autore & moderatore DEO,

pu-

pudicitia ornati, temperantia compositi, charitate circumda-
ti. *c. princeps, de pœnitent. dist. 2.* an non itaque boni & virtutibus
instructi, in dubio æstimandi? At lapsus primi hominis virtu-
tum splendore, bonitatis nitore nos exuit, *d. c. princeps.* per hūc
omnis ætas ab adolescentia in malum prona. *c. omnis ætas. 12. q. 1.*
omnis caro culpæ obnoxia. *c. inter hæc bircum. de pœnit. dist. 3.* na-
tura vitiorum imitatrix effecta. *c. proclivis. 20. qua. 3.* Sit ita sanè.
Cum verò gratia conferatur & virtutis amissæ reparatio fiat
per sacrosanctam baptismi aspersionem, cōsecrarium est eum,
qui semel reparatus fuit, semper & tam diu præsumi talem, do-
nec aliud in contrarium monstretur, & nemo negatum ibit,
nisi qui minus habeat cerebri, quam cimex sanguinis. Instabūt
fortassis contentionum amatores, quid ergò operantur hæc
rescripti verba, (si idoneus est,) si idoneitas intrinseca præsu-
mi debet? Operantur multum in sensu contrario, quoniam il-
lud quod datur ipso jure, censetur adimi, in casu, quo non est
idoneus. Quid clarius? quod sub conditione datum est,
sub contraria conditione ademptum intelligitur. *l. si legatum. 10. de adim. leg. 1. aliquando 107. inf. de condit. & demonstr.* Sed ego
iniquus, qui abutor attentione vestra, auditores eminentissi-
mi, nec istos veritatis impugnatores, dissentienti quasi pruri-
gine infectos, jubeo abire morboniam. Præterea, si quæ
dicta sunt, vestris limatis comprobata fuerint judiciis,
satis verborum esse; sin minus, nimium, scire
debeo.

DE

Lit. B.
DE OCCULTA JURIS RATIONE

Ad
L. non omnium ff. de Legibus

Repetitio

D. MATTH. COLERI.

Qvicunq; mortalibus, Illustrissime, & Celsissime Prin-
ceps, Domine Clementissime Magnifice Dn. Rector, Spe-
ctabilis Dn. Decane, Viri Reverendâ dignitate, nobilitate, am-
plitudine, consiliis, experienciâ, excellentia, prudentia emi-
nentissimi, lectissimi hospites, Nobilissimi, bonarumque lite-
rarum ac humanitatis studiis cultissimi Juvenes, Quicumque,
inquam, mortalium generi ad vitam moresque benè forman-
dos præcepta & instituta tradere studet accõmodata salubria,
& ea quæ à singulis ac universis singulari observantia, & studio
fervari desiderat, omnium reprehensionum ictus, quibus fa-
cilè cuncta novitate subjacent, contemptusq; morsus, quibus
bona pessima reddantur, effugiant evitentque semper ac uni-
cè spectet necessum habet. Id quod melius præstari posse, non
videtur, quam si regendorum introspectis perpensisque utili-
tatibus ac commodis secundum ea quæ optimè iis conducere
animadvertens iussa sapienter statuerit.

In legibus condendis idem observandum neminem sa-
pientum civilisque prudentiæ cognitione excultorum am-
bigere reor, quippe quæ non pro cujusque voluntate ac arbi-
trio tanquam lubrico fundamento ruinæ proximo superstru-
ctæ ferendæ, verum æquitatis honestatis formulis & rationi-
bus, quamvis suppressis obscuris & latentibus, modò Reipu-
blicæ statui ac conditioni conducant, uti firmissimis innixæ
columnis perpetuitati committendæ. *L. Non omnium,*
20 ff. de LL. nobis explicanda proposita satis luculèter id ipsum

H

nos

nos docebit, Cujus explanationem verbis Jcti præmissis cum bono DEO aggredimur; Quam ut brevi temporis mora benè-gnaque auscultatione accipiatis. Auditores, humiliter & ob-nixè rogo.

Verba L. sic habent. Non omnium quæ à Majoribus con-stituta sunt, ratio reddi potest. Sunt utique multa in jure no-stro, quorum ratio minimè ignoratur, quare Jctus eò respici-ens rectissimè juxta & cautè utitur verbis hisce. Nō omnium, quasi diceret, quorundam, Nam primò quidem quædam con-tra rationem recepta videntur, quæ tamen ob utilitatem ali-quam introducta sunt, quemadmodū inter alia est illud: Prin-cipem Legibus esse solutum *l. 31. ff. de LL.* Hoc enim etsi rationi adversari videatur, utilitatis tamen intuitu constitutum de-monstrari potest; In dicta enim lege 31. Ulpianus ex privilegio quodam Principes Legibus non subjectos affirmat. Ex hoc ita-que privilegii verbo utilitatis ratio desumitur, quæ vigorem habère, subsistit, expirante expirat privilegium. Hinc est quod aliquando Principes Legibus adstringi nolunt ut in *l. 14. ff. de manumiss. l. 32. C. de donat. inter vir. & uxor.* quia privilegium eo-rum ibi viget, atque subsistit, E contra vero in quibusdam illis se subjiciunt ut in *l. 3. C. de testam. l. 4. C. ad L. Falcid.* quia in istis privilegium deficit atque expirat.

Alterum desumi potest ex *l. 7. §. 1. ff. commodati* ubi Jctus ait, æquissimum esse, si actio commodati cum actione L. Aquil-ia concurrat & commodati prius actum sit ut commodati a-gendo actionem Aquilia remittat, nisi quis quoad superfluum Aquilia actionem etiam competere dixerit, quod & videtur rationem habere. Hactenus JC. Et quamvis non satis inter In-terpretes conveniat quamnam sententiam Ulpianus verio-rem existimaverit, priorem tamen à Jcto magis approbatam cum Paulo Castrensi, defendi posse arbitrari. Ex hoc itaque colligi potest Jctum contra rationem aliquid statuisse, ob æ-quitatis autem rationem statutum observari voluisse.

Deinde plurima cum a Jctis tum Imperatoribus consti-
tuta, quæ certis rationibus suffulta nedum contra eas introdu-
cta in jure extant, sed ob obscuritatem & occultam earum na-
turam reddi nequeunt. E. G. Si quæramus quare regulariter tu-
torem habenti alius tutor dari non possit §. *interdū Inst. de cur.*
quare habitatio non utendo nō amittatur *l. 10. ff. de usu & habit.*
quare in testamentis regulariter septem testes non plures ne-
que pauciores adhiberi necessum sit *l. hac consultissima. C. de tes-
tam.* quare exceptio non numeratæ pecuniæ debitori intra bi-
ennium, non triennium vel anni spatium competat *l. 14. C. de
vō num. pecun. creditori vero intra triginta dies d. l. 14. §. 2. C. eod.*
quare hodiè legitima sit triens aut semis pro liberorum nume-
ro per *Nov. 18. cap. 1.* cum olim tamen secus fuerit per *l. Papinia-
nus §. quoniam ff. de inoff. testam. & §. fin. Inst. eod.* quare ab Impe-
ratore 14. duntaxat exheredationis justæ causæ positæ fuerint
Nov. 115. cap. 3. Ad hæc & sexcenta alia si responsio petatur, re-
spondeo, Principib. ita placuisse, sed quare? Nos latet, Nisi quis
dixerit, ea propter omnia hæc ita constituta fuisse quod nihil
aliud fuerit quod melius adque Reipublicæ statum accommo-
datius constitui potuisse ipsis visum sit.

Equidem non autumo negare Jctum, quin Legum ratio-
nes aliquando inquirere debeamus, quo certiores reddi possi-
mus verisne an falsis Jcti usi fuerint. Id quod vigilantis & stu-
diosi hominis esse testatur *Bart. in l. 25. §. jussum ff. de acquir. vel
omit. hered.* sed hoc statuere in omnes non esse inquirendum,
cum multæ sint, quarum rationes certas reddere fere sit im-
possibile.

Quis enim tam rudis foret, qui Julianum rationem Le-
gibus detraxisse existimaret, cum hac sola Leges sustineantur
c. consuetudo *dist. 1. Abb. in c. ratio nulla. in pr. X. de preb.* hac vige-
ant immo hac unica vita atque anima ipsis infundatur. Unde
ratio mens & clypeus Legis dicitur *gl. in c. ex eo in verb. rationis*

H

de

*de Elect. lib. 6. Dyn. in e. ult. circa fin. de reg. jur. in 6. Cyn. in l. non dubia
um C. de LL.* Immò ratio debet attendi ut virtus ejus intrinse-
ca, majoremque vim ac potestatem, quam Lex ipsa habet. Un-
de constat rationem legi æquivalere immò præferri, extante
enim ratione legem quarere, nihil aliud est quam infirmitas
mentis & intellectus test. Arist. Et quod rationabile dictum,
debeat ita movere judicem, sicuti lex scripta docet *nobilissimus*
J. C. Arnoldus de Reyger in Thes. Jur. ad verb. Lex. nu. 27. Hinc Bal-
dus J. C. torum lumen rationem vocat spiritum ipsam legem,
vivificantem cujus vi omnia constituentur, & Lex, absque ra-
tione non magis Lex dici potest atque exanimatum corpus
homo *Gædd. ad l. 6. §. 1. de V. S.* & in summa omnes legum posi-
tiones, quæ anima hoc est ratione destituuntur pro Justitiæ ta-
bulis, meræ corruptelæ existunt ac redduntur. Id quod & sum-
mus Pontifex *in c. erit. dist. 4.* confirmare videtur, plurima legis
requisita ibi recensens utpote honestatem, justitiam, possibili-
tatem, convenientiam, necessitatem, utilitatē, hæc ubi neces-
sariò requiruntur, requiruntur a. omninò quippe sine quib. Lex
nomen legis obtinere nequeat, ratio abesse minimè poterit.
Dubium etiam non est, quin certa ac probabili de causa matura
deliberatione, perpetuâ consultatione Romanorum Leges
conditæ fuerint, cui Neratius J. C. in lege subsequenti 21. ad sti-
pulari videtur, dum inquit, rationes eorum quæ constituen-
tur, inquiri non oportere; Si enim inquirere nos non decet ra-
tiones veterum, utique certò cõstat eos suis rationibus quam-
vis nos latentibus in legibus condendis perpetuo fuisse usos.

Ne igitur existimemus J. C. tum ire inficias, quin omnia à
Majoribus & longè circumspicientibus veterum Legum lato-
ribus constituta rationem habeant, sed illud tantum monere,
cujusvis non esse uniuscujusque legis arcanam & latentem ra-
tionem assequi. Ubi enim non potest reddi ratio, non est ex-
quirenda, non magis quam in teste, qui deponit super eo, quod
non

non potest scire nisi praesumptivè *Angel. bic.* Quid etiam quæso
prodest in leges bene constitutas subtiliter inquirere earum-
que rationes in obscuro positas curiosè investigare, cum no-
bis absque rationis praesidio non tantum eas nunquam ferri
verum etiam latas nomine legum perpetuò indignas fuisse
scire sufficiat *d. c. erit. dist. 4. l. 39. ff. de LL.* Et quamvis non eadem
ubivis terrarum legum observationes vigeant, sed quæque fe-
re gens proprium jus, secundum quod vivat, sibi habeat con-
stitutum, inde tamen rationibus prorsus eas destitui jusque
in incertitudine versari minimè inferretur; Sapientissimis e-
nim Legumlatoribus ad Reipublicæ cujusvis, quarum magna
diversitas ubique habetur, commodum ac utilitatem respici-
entibus non perpetuò idem licet ad unum semper tendenti-
bus statuere convenit; Quod ipsum & *Cicero lib. 1. de Invent.* sa-
pienter docet inquiens: Ea virtute & sapientia Majores nostri
fuerunt, ut in legibus scribendis nihil aliud sibi, quam civium
salutem & Reipublicæ utilitatem proponerent. Et vetus illud
inculcat. *Salus populi suprema lex esto.* Accommodandum
jus ad cujusque gentis morem, habita loci temporis aliarum-
que circumstantiarum ratione, quæ si ubivis observanda, sicu-
ti omnino observari debent, aliter fieri non potest, quin alia
longeque diversa jura à diversarum gentium ac urbium Ma-
gistratibus condantur; Huc referrè potest illud *Livii lib. hist. 34.*
inquentis; Leges debere esse mortales & temporibus ipsis mu-
tabiles.

Nec evertit sententiam nostram, quod variæ & multiplices
Ictorum opiniones extent ac inveniantur; Illud enim non ex
defectu rationis, quæ omnis Lex, uti modò diximus nitatur o-
portet, procedere arbitror, verum sapius ex proprii ingenii fi-
ducia, qua plures freti insuper & mente Impp. Ictorum ac Inter-
pretum non aliè satis introspecta tam variè opinionibus hinc
inde inter se discrepant.

H 3

Parum.

Parum etiam facit mutatio & legum correctio, Jus enim naturæ ex quo leges depromuntur, per se immutabile, semper & ubique idem existit, ac licet jura civilia quæ civitas quæque sibi constituit, aliquando immutationem patiantur, docente id Imperatore §. penult. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* vel tacito consensu populi vel alia postea lege lata; jus tamen naturale minimè evertunt, sed aut aliquid addunt aut detrahunt, ut testatur *Jctus in l. 6. ff. de Just. & jur.* Varietate enim circumstantiarum & temporum quæ una cum genere mortalium sæpius mutationi sunt obnoxia, diversitatem interdum flagitante iis conveniant coaptenturque oportet ne observatis prioribus Republicæ tamen commodis adversantibus jus in sese injustitia & mera iniquitas reddatur. Et hoc est, quod Pontifex dicit *in l. 1. non debet X. de consang. & affin.* Non debere reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, urgente præsertim necessitate vel evidenti utilitate id exposcente; subjiciturque statim ratio, quoniam ipse DEUS ex his, quæ in veteri testamento statuerat, non nulla mutavit in novo. Hactenus Pontifex.

Minimè quoque; refragatur *l. 1. ff. de const. Princ. & §. 6. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* ubi dicitur, quod Principi placuit legis vigorem habere, Responderi non potest; Principum placita non eam ob causam vigorem legum obtinuisse quatenus fuere placita, sed quatenus placita Lege Regia temperata. Id quod ex verbis sequentibus ipsius *l. 1. ff. de const. princip.* satis probatur, dum inquit, cum Lege Regia quæ de ejus Imperio lata est populus ei & in eum omne suum Imperium & potestatem conferat. Qualis itaque est Lex Regia talis etiam potestas sit Principis necessum est, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat *reg. l. nemo ff. de R. I.* Quemadmodum autem Lex Regia solam, populi ac Republicæ salutem aspexit inque eam tota intenta fuit, ita & Principibus extra eam vagari contraque pro arbitrio

trio aliquid statuere potuisse haut concessum fuisse dicendum est.

Denique non obstat quod à quibusdam obicitur ex l. 3. ff. de off. prat. § l. 3. §. ult. de suppell. leg. ex errore nimirum jus nasci; quod autem errore fit, certæ rationi inniti non potest, per l. 39. ff. de LL. Ad primum enim responsio præsto est, errorem ibi minimè jus fecisse, verum communis utilitatis causa sententiam Barbarii, quam tãquam liber pronunciaverat, substituisse.

Ad alterum respondetur loqui ibi Ictum de errore facti qui juri non officit; Deinde ejusmodi error à IC. Paulo, uti ex antecedentib. liquet, minimè approbatur, sed ut absurdum quid rejicitur. Insuper & ex contingenti non necessitate factum allegata L. clarè demonstrat.

Reliqua quæ huic assertioni nostræ adversari videntur, nõ ita magni momenti judico, ut iis refellendis diutius immorer cum apud alios autores passim refutata inveniuntur.

Et ut tandem hujus L. explicationem cum ICto paucissimis concludamus, omnes omnino Leges, prout cujusq; Reipublicæ ac Populi status tulerit, perpetuò rationibus, sine quib. nihil diuturnum esse potest, & quibus deficientibus Lex ipsa deficiat necesse est, firmatas oportet. Nostrum autem non est, memento eodem Neratio, eas inquirere, ne multa ex iis quæ alias certa sunt, hoc est rationibus majorum certis stabilita ob nimias & plusquam curiosas earum investigationes vel investigationum potius redditiones magno Reipublicæ detrimento ac casu subvertantur.

GEORGII

Lit. C.

GEORGIUS - WILHELMUS,

DEI gratia, Marchio Brandenburgensis,

Sacri Romani Imperii Archicamerarius, & Elector,
in Prussia, Juliaz, Cliviaz, Montium &c. Dux, &c.

Quod inter tot arma, bellorumq; variis in Ger-
maniâ locis strepitus, etiam nunc in Academiâ No-
stra Viri eruditi reperiuntur, qui togatæ vitæ viam
ingressi, de Rep: in pace tandem administrandâ non desperat;
ad eamq; per honores Academicos gradum sibi struere nitun-
tur: Id pro singulari DEI beneficio, nō immeritō agnoscimus:
ut q; præsens ista provinciarum nostrarum tranquillitas, per
ejusdem clementissimam gratiam, non diuturna saltem, sed
et perpetua sit, devotè precamur.

Cumq; ex tam frequenti Candidatorum numero, non in-
gratum capiamus omen; et aliàs etiam erga bonas literas et
literatos, maximè verò Juris-prudentiæ, quæ in civili homi-
num societate dominatur, studiosos, singulari propensione,
ducamur: Cum primis autem fidei vestra, quam nobis, st at-
tisq; vestri ordinis debetis, tantum tribuamus; ut quos hono-
ribus publicis censura vestra dignos judicavit, eos auctori-
tate nostrâ ultrò sublevandos existimemus.

Ideò humilimè vestra petitioni clementer annuimus:
Et Collegii Vestri PRODECANO, Academiæq; Nostræ Fran-
cofurtanæ pro tempore RECTORI, DOCTORI CYRIACO
HERDESIANO, facultatem potestatemq; concedimus; tres
à vobis

à vobis in literis nominatos; JOANNEM-CHRISTOPHO-
RUM HARTMANNUM, FRANCOFURTANUM MARCHI-
CUM: PHILIPPUM NEIDLINGERUM SILESIIUM:
MATTHÆUM COLERUM, VVITEBERGENSEM SAXO-
NEM, Doctoralibus in utroq; jure insignibus, ac privilegiis,
actu publico, ac solenni, cohone stadi; eaq; omnia, quæ vel ex
juris statutorumq; præscripto, vel inveteratâ Facultatis Ve-
stræ consuetudine desiderantur, Nostro nomine ritè per agen-
di: ut & præsentis Candidati debitum industriae suæ fructum
capiant; & alii hoc exemplo, ad alacrius premendam virtuo-
tis ac doctrinæ viam, in posterum invitentur: Siquidem fieri
non potest, ut bonæ artes neglectæ jaceant, in quarum publi-
cos honores omnium bonorum, ac præcipuè Principum con-
spirat adfectus. Ita vos etiam, ob celebritatem Academiae,
in partem laudum venietis. Quibus insuper gratiam, beni-
gnitatemq; Nostram clementer pollicemur. Dabantur ex
arce Nostrâ Colonienfi ad Spream, 25. Maij. Anno 1622.

GEORGIUS-GUILIELMUS ELECTOR.

**Viris Clarissimis, Consilia-
riis Nostris & Fidelibus Nobis dilectis, De-
cano, Ordinario, & reliquis in Academia
Nostrâ Francofurtanâ Utriusque Juris
Professoribus.**

I

Nos

Lit. D.

Nos Gratia DE I

GEORGIUS WILHELMUS,
Marchio Brandenburgicus, Sacri Romani
Imperii ArchiCamerarius, & Elector, Prussiae, Juliae,
Cliviae, Montium, &c. Dux, &c.

Scire volumus, tum omnes, qui haece nostras audituri sunt, tum
Doctores, & Professores Juridicae Facultatis, in Academia no-
stra Francofurtana, cum primis: quod etiam illi petitioni, qua
modo nominata Juridica Facultas, à nobis precibus supplicibus,
in id oblatis, petierat: ut pro tempore Decano ejusdem Facultatis, Viro
Clarissimo, Dilecto, Fidelique nostro, CYRIACO HERDESIANO, U. J. D.
vices nostras delegarem, quò illi fas esset, nostro loco, ad tres istos Ju-
ris Candidatos, ad quos in Juris Utriusque Doctores promovendos, con-
sensus noster antebac inpetratus fuerat, quartum quoque, DANIELEM
BURCHARDUM Magdeburgensem, utriusque Juris Licentiatum, addere:
atque illos quatuor omnes, & singulos, Juris Utriusque Doctores, adhibi-
tis in id solennitatibus consuetis, publice renunciare & insignire: cle-
mentissimè locum dederimus: Et idcirco, praefato Domino Decano Her-
desiano, plenam potestatem, ad id ritè, rectèque peragendum vigore ha-
rum literarum nostrarum patentium, tribuerimus: optantes benignis-
simè, ut Deus, hunc actum solennem, & Academia, & Candidatis bene-
vertat. Quos animo clementissimè etiam in posterum fovebimus, &
prosequemur. Obsignabantur haec jussu nostro secreto nostro Majori, da-
banturque Colonia ad Spream, ipso Calendarum Junii die, Anni 1622.
Jussu Sereniss. Elect. speciali.

Subscripsit

Erid. Pruckman D.

Manupr.

Locus Sig:

Lit. E.

Echo Gratulatoria

Scripta

In honorem

DN. LICENTIA TI

**JOHANNIS-CHRISTOPHORI
HARTMANNI,**

à

M. THEODORO EBERTO, HEBRÆÆ LINGUÆ

Professore Ordinario, in Academia Electorali,

Composita verò, atq; cantata octo vocibus

à

STEPHANO HOPNERO, CANTORE SENATUS

Francofurtani ad Oderam,

3. Non. Jun. Anno 1622.

In templo D. Virginia

Separatim Excusa

HARTMANNUM celebra cantu resonabilis Echo:
Eho. Patri & Nato dicit grata: Rata.
Decernit MERITO Rectoris fama brabeja:
Eja: Ornat titulis ingenium: genium.
Incingunt proceres Astræ tempora fertis:
Certis. quæ dudum nexit JOVA: nova.
Nunc mens læta: quieta. & vox facunda: secunda.
Nunc spondent ævum Numina svave: Fave.
JOVA fave doctis; HARTMANNI suscipe partes:
Artes: sit multis ancora cara, para.
Fac columen Themidos, fac lumen Pallados, usu
Ut pacta & leges inveniat: veniat,
Sic Tibi, sic aliis, Patri, Sibi serviet ipsi,
Gratus & extollet Te sine fine; Sine.

Lit.F.
DE PACTIS TESTAMENTO

MUTANDIS

Ad c. pactum quod dotali C. de pact.

Repetitio

DN. DANIEL BURCHARDI.

Sicut nauta tempestatib. obrutus, & cum mors ante oculos, Somnia tamen facit & fracto etiam velo aut malo navigat, Idem sanè facere nos oportet, auditores eminentissimi, & præstantissimi, ut in hoc turbulento rerum Germanicarum Oceano, in hac civilium discordiarū tempestate fractoque Martialium procellarum metu plurimorum animo, Deo eventum & nos ei permittentes operam demus ne ob bellicos tumultus animo fracti optimarum rerum studia eorumque præmia negligamus, mollicellos enim & mulierosos non moramur, existimantes tranquilliora tempora obesse studiis nihil, adversa & inquieta plurimum periculi & incommodi vehere, quin potius juris cultores ruris studiosos & agricolas imitamur, quos nimii imbres, grandines & ventorum furor à rei rusticæ cura non avertunt; Immo adversus ea labore ac industria depugnant: nempe quod vetustissima hæc esse norunt & immedicabilia mala naturæ; Quamobrem & hodierno die latis animis ingressi sumus hoc theatrum honoris & virtutis conjunctæ; In quo optimæ spei puer non tam ingenuâ fronte ac animo mihi gratularis, quo nomine tibi gratiam habeo & bonam mentem semper precor, quàm quod de more consueto difficilem quæstionem in Praxi illustrem proposuisti resolvendam; Desumpta est illa ex *l. pactum quod dotali C. de pactis*; Cujus hæc species facti est, Titius filiam suam Cajam elocavit matrimonio Mævio, & confectis instrumentis dotalibus inter alia convenit, ut si pater Titius ante filiam fungeretur vita, tunc filia.

filia ex æqua portione cum fratre filio itidem Titio hæres patris sui esset ; Hoc pactum insertum fuit instrumento dotali, cui Pater, gener itidem & filius subscripsit ; Postea idem Pater condidit testamentum & in eo trientem reliquit filiaë ; in reliquo bonorū instituit heredem filium ; Patre testatore mortuo gener ejus vel maritus filiaë nititur impugnare testamentum quasi contrarium pacto instrumento dotali adjecto ; Quæritur an recte rescribunt hæc Imp. Valentin. & Gallien. consulti Cæs. Pactum meo ; Pactum illud nullam obligationem contrahere, adeoque libertatem testamenti faciendi non potuisse mulieris patri vel socero auferre ;

Cujus ratio dubitandi hæc videtur esse, quod nihil tam congruum sit, fidei humanæ, quàm quæ inter eos placuerunt servare *l. i. in pr. ff. de pact. l. i. in pr. ff. de const. pec. l. 21. l. 26. §. 1. ff. de positi. & imprimis expeditissimi juris est, quod pacta dotalia servari debent l. legem 10. C. de pact. l. in traditionib. ff. eod. Et tt. de pact. dotal. Et C. tt. de pact. conv. quò etiam respicit. l. ult. C. de pact. ut pacta de futura successione quoque valeant in casu, quo paciscens, de cujus hereditate conventio initur, voluntatem suam ei accommodaverit & in ea usque ad extremum vitæ suæ spacium perseveraverit.*

Verùm his nihil obstantibus, eorum responsio patebit ex ratione decidendi, cujusmodi in nostra quæstione est, quod non pactis sed sollenni testamento hereditas detur *l. hereditas C. de pact. conv. l. 4. C. de inutil. stipul.* hujusmodi enim pacta plena sunt tristissimi & periculosi eventus & contra bonos mores inita censentur, votum siquidem captandæ mortis inducunt & occasionem præbent peccandi propter insidias, quas struere possint paciscentes viventi, cujus hereditas in pactis deducitur *d. l. ult. C. b. e. l. stipulatio hoc modo 61. ff. de V. O.* quamvis hoc hodie per contrariam cõsuetudinem sit abrogatum *Mysf. obs. 23. Rosentb. de feud. c. 7. n. 17. Et seqq.* si quis autem scholasticè

contra disputet, illi ignoscendum & condolendum est, quod ea
quæ quotidiana sint, nō didicerit, & jus in quo versamur, igno-
ret. *l. 2. de or. jar. ut ait Cotbm. cons. 18. in fin.*

Conclusio ex his extruitur talis.

Pactō cōservativo (ut interpp loquuntur, quod successionem
conservet) licitè derogatur per testamentum, etiam altera
parte invita.

Declaratur hoc, si in pactis ejusmodi alteri in casum mor-
tis tota hereditas vel ejus quota relinquatur, sive hoc fiat reci-
procè sive ex uno latere, nihil refert *Gail. 1. obs. 126. Myns. 2. obs. 33.*
neque enim quisquam sibi eam legem dicere potest in ultimis
voluntatibus à qua ipsi non liceat recedere, ultima enim vo-
luntas ambulatoria est usq; ad mortem *l. 4. de adim. leg. l. 1. C. de
SS. Ec.* Consultum itaque est, ut pacta in vim ultimæ volun-
tatis valeant, quinque testes adhibere *arg. l. ult. C. de don. mort.
caus. &* non tantum de dote & donatione propter nuptias, sed
universalis hereditatis aut alicujus quotæ successionem ea con-
cipere. Quod etiam innuit *constit. Aug. Elect. 2. constit. 43. Berlich.
concl. 51. part. 2. nu. 12. Dautb. in tr. de testam. sub tit. de mut. test. post.
nu. 110. cum seqq. Rittersb. in Nov. p. 7. c. 18. nu. 5. & seqq. Wesenbec. in
par. de pact. dotal. nu. 4.*

Lim. hoc I. Si per hujusmodi pactum, parentes vel liberi
in legitima fuerint læsi v. g. si filia adhuc habens patrem
marito suo aut mater ad secundas nuptias convolans marito
secundo vel liberorum prioris matrimonii vitrico universam
hereditatem in casum mortis relinquat; Pactum non valebit
quoad legitimam, quæ gravari non debet *l. omnimodo l. quoniam
C. de inoff. test. Gail. 2. obs. 120. nu. 12.*

2. lim. si ejusmodi pactis subscripserint tantum paciscen-
tes vel duo tresque testes multò minus de successionem heredi-
tatis vel de ejus quota, sed tantum de certis rebus, & bonis per
verbum contractus, actum fuerit, tunc enim vim potius
con-

contractus obtinebunt, quam ultimam voluntatis, adeoque nec
per ultimam voluntatem illis tunc derogari poterit. Sicut enim
contractus ab initio sunt voluntatis ita postea fiunt ne-
cessitatis ut nec altera parte invita ab illis resilire vel recede-
re, liceat *l. sicut C. de O. & A. l. pro hereditariis & ibi Bald. C. de her. act.*
Phil. Dec. b. l. nostran. 3. Berlich. d. concl. 51. nu. 3. Cothm. cons. 78. n. 169.
& seq. Pruckm. cons. 34. q. 3. nu. 7. vol. 1. & vol. 2. cons. 1. nu. 334.

Nec adversatur superiori conclusioni illum conjugem,
cui contra pacta aliquid auferatur, decipi, quod fieri non debet.
At plana est responsio non laedi eum, nisi forte à se ipso & sua
juris ignorantia; scire enim vel peritos consulere debuisset
ejusmodi pactorum naturam hanc esse, ut mutari per ultimam
voluntatem possint;

Ejusdem est ponderis objectum, quod nemini jus quasi-
tum sit auferendum, per pactum vero dotale jus quæsitum est
conjugi, cui successionis spes facta est. Nego enim irrevocabi-
liter conjugi jus quæsitum esse, cum libera testandi facultas
paciscentibus jure non sit adempta. Et hanc esse communem
opinionem, & in foro servari testatur *Cothm. d. cons. 78. Rittersb.*
d. c. 18. nu. 6 Egoque heic subsisto & rogo, ut amplissimum audi-
torium hanc meam resolutionem a quis animis dignetur
interpretari.

Lit. G.

Explicatio & repetitio tit. 48, 2. Feud. an agn.
vel vas. facta à

D. PHILIPPO NEIDLINGERO.

Elephantes etsi annibus impensè delectentur, haut temere
tamen eos ingredi, cum inscii sint natandi, peritissimi re-
rum naturalium venatores scriptum reliquerunt; Idem juris
cultoribus accidere in tam flexuoso controversiarum ac opi-
nionum amne, nemo est qui ignoret, qui tam sancti stu-
dii

dii amore capiatur, Idem, ne de aliis loquar, mihi evenit, ut
quanquam impensè delecter amnibus Astrea, temerè tamen
in conspectu amplissimorum auditorum, eos ingredi vereor,
præsertim quorum profunditas ignota & nota præsens secum
trahat periculum; Sanè sine fundo profunda quæstio est in
jure feudali, mihi à Magnifico & Spectabili D. Decano proposi-
ta; Quare adgnatus defuncti vasalli repudiata hereditate reti-
nere feudum antiquum vel ex pacto & providentia possit, sic-
ut expressè sancitur 2. Feud. 45. an adgnatus vel filius defuncti,
& c. Cujus ratio decidendi petenda est ex natura feudi antiqui
vel ex pacto & providentia, cujusmodi hæc præcipua est, quod
non jure successionis vel ex debito, uti hereditarium vel alia
etiam informia feuda, sed pacto legis feudalis providentia fir-
mato adeoque vestito quasi beneficio primi acquirentis et si
per mille manus ambulaverit, ut, loqq. Dd. debeat: *Gail. 2.
obs. 149. nu. 3. & 154. nu. 3. & seqq. in pr. & passim.*

Ex quo infero & deduco I. Feudum hujusmodi non a-
mitti ob delictum vasalli ita ut illo adgnatus sit privandus; *c. si
defunctus 2. Feud. 26. c. 1. an ille qui interf. frat. c. 1. §. deniq; quæ fuit
prima causa bon amitt.* quod interpretes juris feudalis quidam,
magnæ autoritatis nō modò de delicto vasalli adversò extrane-
um sed etiam contra dominum patrato exaudire volunt ut in-
ter alios *Matth de Afflict. in d. §. deniq; nu. 2. quæ fuit prim. caus. ben.
amitt. Rosenthal. de feud. c. 11. concl. 5. & 6. Jul. Clar. §. feudum q. 66.
nu. 3.* ubi in fine dicit contrariam opinionem (quæ lanè com-
munis esse censetur & ab ea in judicando non recedendum
esse Dn. Præceptor Vultejus inter alios docet *libr. 2. Feud. c. 11.
nu. 70.*) sibi nunquam placuisse, cum impium videatur, quod
vasallus delinquendo possit excludere adgnatos à feudo eis
debito virtute primæ investituræ absq; aliquo eorū facto cul-
pave; Verum quia hæc directò ad decisionem nostram nō faci-
unt & aliàs variis opinionum procellis sint agitata; malim ego
illas

illa evitare, rarò etenim navis allisa est; quæ modico velo legit littus.

2. Deducitur, quòd feudi hujus alienatio, hypothecatio aut quavis alia diminutio vasallo interdicta sit, adeo, ut si ab ipso facta fuerit, à successore infringi possit; Quod tamen limitatur, si consensus Domini & adgnatorum legitimè intervenierit, *FF. comm. in c. 1. de alien. feud.*

Tertiò infertur, quòd renunciatio ejusdem feudi facta à patre non præjudicet successoribus *Bald. consil. 115. num. 3. lib. 2. Cardinal. Tusc. concl. 105. nu. 8. lit. f.*

Quartò vasallus successor æs alienum à defuncto conflatum dissolvere non tenetur *Afflict. & comm. FF. ad d. c. 1. an agn. vel vas. moribus tamen Marchiæ Electoralis ex feudis etiam antiquis in subsidium æs alienum dissolvitur D. Pruckman. cons. 17. nu. 41. vol. 2 Rosentb. de feud. c. 9. concl. 58. nu. 2.*

Quintò deducitur, quòd nec pro executione rei judicatae distrahi possit feudum antiquum, licet fructus ejus in causam judicatam transeant *Gail. d. obs. 154. nu. 16. & 1. obs. 110. n. 2. & 3.*

Sextò non computatur hujusmodi feudum in legitimam, quia nec pars hereditatis est, *Alexan. in l. si patroni ff. ad Trebell.* quamvis in hac itidem provinciâ onus filias elocandi & dotandi feudo inhæreat, & inde ex solvendum sit *Koppen. q. 36. nu. 38. Schepl. in cons. Marcb. p. 3. tit. 3. §. 8.*

Septimò infertur, quòd frater consanguineus, utpote qui non jure sanguinis, sed beneficio primi acquirentis succedit una cum germanis contra juris communis dispositionem succedat, in feudis enim sola spectatur adgnatio non cognatio *c. 1. de grad. success. c. 1. de nat. succ. feud. Wesenb. cons. 82. num. 26. & seqq.* Unde & verbum heredis non adjecta alia qualitate propriè masculus ceu verè feudorum heres intelligitur *c. 1. §. similiter de leg. corrad. 2. Feud. 34. c. sic clientulus de alien. feud. 1. feud. 2. Vult. 1. Feud. 8. nu. 30. & seq. Hartm. Pist. q. 3. nu. 17. & seqq.*

K

Hac



Hæc inquam ratio aliquot inductionibus à me exposita cum obtineat quoque in filio defuncti vasalli, utpote qui non patri ratione feudi succedat, sed primo acquirenti, ipsaque hereditas planè sit distincta à feudo antiquo, ac ideo ubi non est eadem ratio nec idem jus esse debeat & per consequens malè dispositum esse videatur, filium repudiata hereditate Patris non posse retinere feudum ex pacto & providentia; sanè hunc nodum ut Feudistæ dissolverent, quidam eò prolapsi sunt, ut distinguerent in hoc textu & diversitatis ratione reddenda inter feudum antiquum verum seu pactonatum & informe, cui admixta sit natura feudi hereditarii, sed hæc distinctio uti suo loco tolerari potest, huc tamen non quadrat: Feudista etenim loquitur de feudo paterno, hoc est ex pacto & providentia, quod beneficio primi acquirentis obtinent, non virtute successionis defuncti adgnati; Nam licet & hæc in Filio Ratio militet, qui æquè, nō Patri sed primo acquirenti exemplo adgnatorum in feudo antiquo succedere potis sit; tamen in hoc deterioris est conditionis, quia propter reverentiam, quâ filius Patri devincitur, non potest feudum retinere antiquum & hereditatem repudiare, sed necessum est, ut vel hæc repudiata illud simul amittat aut ut utrumque retineat, aut utrumque repudiet; In hoc tamen prospectum est filio defuncti vasalli ut si cum beneficio inventarii hereditatem paternam adiverit, feudū hujusmodi nihilominus retineat, quia utrumque acceptavit, & sic dispositioni juris feudalis satisfecit, ita ut beneficio inventarii ultra vires hereditatis conveniri nequeat *c. 1. de cap. qui cur. Zas. de feud. p. 8. n. 104. Gail. d. obs. 15. 4. n. 16.* Jure verò Saxonico filius indistinctè etiam non confecto inventario spreta & repudiata hereditate feudum antiquum retinere potest *Landr. lib. 4. art. 23. §. wird es auch frey wieder Coler. decis. 70. n. 2.* Sed hic telam abrumpo ne morâ meâ moribus & auribus probatis tedium accersam spe certa, vos ea, quæ de profunda hæc materia notavi æqui bonique consulturos.

Lit. H.

JURAMENTUM.

EGO N. N. vobis Juridicæ Facultatis DECA-
NO, omnibusque successoribus vestris & cæ-
teris ejus ordinis Professoribus, juro obe-
dientiam & reverentiam, & me juris & sacrosan-
ctæ justitiæ, cujus sacerdotium in præsentia reci-
pio, perpetuū fautorem, cultorem & propugna-
torem futurum, & scientem & volentem contra
jus legum non facturum, aut innocentes oppres-
surum. Item, quòd insignia Doctoralia nullibi
sim reiteraturus, & indignos ad hujusmodi ho-
nores atque dignitatem non promoturus, deni-
que omnibus aliis statutis & consuetudinibus in-
clytæ Facultatis Juridicæ obsequens sim futurus:
Cum primis v. me facturum curaturumve ea,
quæ ad honorem emolumentumque Illustrissi-
mi Electoris Brandenburgici, Successorumque e-
jusdem Celsiss. Illm. pertinere videbuntur, ad
quodcunque dignitatis fastigium post deinde
eveci fuero, sicuti me Deus adjuvet per Christū.

K 2

ODA



Lit. I.

MODA

Honoribus

Doctissimorum & Præstantissimorum Doctorand.

Scripta à

M. PAULO FRANCO POES. PROF.

Et à puero pro more alla voce

Comprecationis ergò decantata

III. Nonas Junias, Anni ∞ Is. C. XXII.

FELICITER.



Sator cæli, pater atque custos

Gentis humanæ, tibi mente pura

Fundimus grates, patriæ quod agros

Pace beasti.

Hos niger belli timor haud lacepsit,

Non rubent limfæ Viadri, nec Albis,

Nec Spreæ marmor recalet netanda

Cæde cruentum.

Basiat Pacem Themis, & sacrata

Sub clientela Ducis in Lyceo

Hoc virent Musæ, referuntque digna

Præmia Musæ.

Nunc Athenei caput, Antecessor

Juris, Astrææ suboles, cathedrâ

Quattuor virum Themidos coronat

Tempora tertis.

Can-

Candidatorum celebris quadriga
Salve. Ob ancilam seriem laborum,
Lana vos cingit Melibœa, retro

Propria regum.

Ecce BURCHARDO, pelagum patentem
Juris emento, quod honoris intrat,
Jam Dices pridem reseravit almæ

Dextera, templum.

Quando ei plausum dederunt Apollo,
Pieris, Cypri Dea, Gratiaque,
Queis sine est gratum nihil aut venustum;

Nec Venus ipsa.

Quis tuas, Phœbi Charitumque pulle,
HARTMAN, ignorat madidi Sophiâ
Pectoris dotes, numerosque fandi

Dulce fluentes?

Scanderes collem Themidi sacratum,
Tu penetrasti peregrinus urbes,
Sole semotas alio calentes,

Scitaque Juris.

Care NEUDLINGERE Diis frequentem,
Cum recentatur moriturve lumen,
Solis, in scriptis veterum recentum,

Te videt orbis.

Belgium, belli schola, litterarum
Vita, lustratum: remora nec esse
In catenato studio Themistos

Est tibi cœptum.

Fortibus fortes genier, virorum
Plurium vox est: Celebris parentis
Ac avi proles celebris COLERUS

Id docet ausis,

Meta non ipsi decus est paternum;
Accipit lucem patris à decore,
Reddat ut lucem decori paterno,

Iure laborat,

Laudibus maecti auspiciis que honorum,
Este terrores, age candidati,
Improbæ faxi, seopuli scelestis,

Sidera prelsis,

O DEUS rerum pater atque custos,
Fundimus preces tibi, gratuito
Perge cancellos patriæ beare

Pace serena,

Laude BURCHARDUS vigeat perennis:
Vivat HARTMANNUS Pylios in annos:
Secla NEUDLINGERUS agat: COLERUS

Floreat ævum.

Plurimi da sint, Hygica, Leges,
Et quibus curæ Sacra, Candidati,
Ac jubar clarum Sophiæ, ut perennet

Laus tua IESU.

GRA-

Lit. K.

GRATIARUM ACTIO

Habita à

Dn. MATH. COLERO.

Milles in castris audito viæ signo vasa colligit; audito pugnae deponit; animo oculis auribus paratus ad omne imperium & intentus: Idem nobis in hac togata militia faciendum est; in qua æque sequamur alacres & pleno gradu quocunque vocantem Imperatorem; cujus ductu auspicio ac ope labores nostros ita perfecimus, ut præmia & honores in nos sine publicè collati; Dei opt. maximi; Principis Electoris Serenissimi, amplissimi Jctorum Collegii; Clarissimi brabeutz ductum, jussu, decretum lubentes hætenus secuti sumus, auditoque pugnae signo qualiacunque ingenii ac profectuum nostrorum vasa deposuimus in æquam Jctorum hujus Academiae censuram & judicium, rursusque audito viæ signo vasa eadem collegimus & huic trophæorum theatro exposuimus ut ita donati & ornati præmiis ac honoribus ultra nos Deo, Principi Academiae, Jctorum Collegio & Promotori nostri ob beneficia illa accepta perpetuè nos obnoxios fateamur & devinctos. Tibi itaq; in primis DEUS TER OPT. MAX. gratias rependimus immortales, quod immensâ bonitate tua inter tot armorum, totam ferè communem patriam Germaniam personantium strepitus nos studiaque bonarum literarum, præcipuè Justitiæ am ejusque cultores clementer conservare volueris; largire nobis hanc gratiam, ut deinceps quoque aurea profunda que pace perfruentes omnia studia nostra in sanctissimi nominis tui gloriam, Ecclesiæ incrementum ac Reipublicæ emolumentum convertere valeamus.

Juxtâ,

Juxtà, Serenissime & Potentissime Princeps ac Domine,
Domine GEORGI GUILHELME Septemvir Brandeburgice, Do-
mine Clementissime, V. Sereniss. Celsit. debemus gratias hu-
millimas, quod Academiam hanc literis florentissimam Sere-
nissimorum Majorum auspiciis fœlicissimis fundatam usque
adhæc, proh tempora mœstissima, maximâ omnium gratula-
tione clementissimo erga literas favore foverit, inque præsen-
ti turbulentissimo Mundi Pelago inter studiorum hinc inde
plurima maximaque facta naufragia sub velo & clavo suo cle-
mentissimè rexit & protexit otia tanta indulgens, quò stu-
dia omnium literarum, inprimis Justitiæ, quâ inter homines
nihil unquã extitit robustius aut pulchrius laude V. Sereniss.
Celsit. immortalis florere ac eximia incrementa capere potue-
rint. Æternum omnium rerum conditorem conservatorem-
que ardentibus votis supplices invocamus ut V. Sereniss.
Celsis, una cum Serenissima conjugè ac prole totaque Illustris-
sima Domo Brandeburgica & Consiliariis inclytis, protecto-
rem totius Provinciæ ac Universitatis quam diutissimè in hæc
temporum & Ecclesiæ calamitate florentissimam ac incolumem tueatur.

Humili devotione & gratissima mente agnoscimus, Il-
lustrissime Celsissime Princeps Domine Clementissime, quod
Illustriss. V. Celsit. singulari humanitate clementi ac benigno
erga nos omnesque literas favore festivitatem hanc Panegy-
ricam Illustrissima sua præsentia illustrare dignata fuerit; Gra-
tia hæc quantis laudibus digna? quantis encomiis extollenda?
subsellia eam perpetuò loquentur, celebrabunt omnes Acade-
miæ Ordines. Nosq; eam oblivionis nubib; involvi nunquam
concedentes omne, quicquid in nobis est eritq; V. Illustr. Cels.
totum spondemus, offerimus, consecramus, studiaque nostra
ut eorum eximio Patrono, æternum commendamus.

Magnifice Dn. Rector, Procancellarie Ampliss. T. Mag.
meritò

meritò gratiæ, quas mente ac ore concipere possumus, summe
persolvantur, quòd studiorum in primis nostrorum compro-
batione, Amplissimi J. C. torum Ordinis decreto, tum maximè
consensu Serenissimi Septemviri Brandenburgici, Dni, nostri
clementissimi, præcedente, honorib. in utroque jure summis
ac privilegiis nos condecorare voluerit, Id quod omni obser-
vantia cultu debitisque studiis nostris erga T. Magn. toto vitæ
nostræ tempore promereri unicè enitemur.

Omibus Academiae ac Senatus Ordinibus, Spectabili Dno.
Decano, Viris Reverendis, Nobilibs. Amplis. Consultis. Expe-
rientis. Excellentis. Prudentis. Lectissimis hospitib. gratias
ingentes referimus, quod singulari erga studia nostra affectio-
ne, post habitis gravissimorū negotiorum suorum curis, hanc
solennitatē honoratissima sua præsentia illustriorem, sp'endi-
diorem, reddere cōstituerint. Quem & tantum favorem nobis
præstitum officiis pensare, studiis referre quid prohibebit? ob-
servantiam, studia paratis. promptis., dignitate cujusque
prælucente universis ac singulis perpetuò deferimus.

Tibi denique, Nobilissima ac literatissima studia sectantiū
corona, gratiæ maximæ aguntur, quod, neglectis non nihil stans
laboribus ac studiis tuis, actui huic & honori frequens lubens-
que interesse studueris, Id singulari adfectu erga nos & huma-
nitate profectum grati agnoscimus, officiorum nostrorum
oblatione prompta quovis tempore, loco, modo, pensaturi.

Omibus denique & singulis pro cujusque præminencia

studiis obstricti cunctis, officiis devincti, sicuti par

est, omni subiectione ac reverentia,

adsurgimus.

L

Gra-

Lit. L.
GRATIARVM ACTIO

In Convivio habita

à

D. JOAN. CHRISTOPH.
HARTMANNO.

Post assiduas nives & algentes pruinas,
Serenissime & Celsissime Princeps, & Do-
mine, Domine Clementiss., Magnif. Dn.
Rector, Viri Nobilitate generis, reveren-
tia, doctrina perfectione, multo rerum
usu & prudentia amplissimi, clarissimi,
post assiduas, inquam, nives & algentes pruinas, sedem
tandem permutavit suam hyems, Antipodum gentem duro
frigore perstringens, & successit jam blandum illud tempus,
quo terra herbarum & florum non uno colore picta vernare,
arborum omne genus frondes virides ostentare, & campus,
prata, ripae, convalles tenero gramine vestit & luxuriare ce-
perunt. At q̄ ut florum aspectus oculis tam juvenum quam se-
num non potest non esse jucundus & optatus: ita vester, prin-
ceps illustriss. Viri Eminentes, ad spectus nobis imprimis la-
tus & gratus, imò Hesperidum gratior violariis & sparsis
Dionaeo rore viridariis. Ut q̄ flores suavissimum miscentes
odorem, vicina eo complent loca: Haud aliter Clementia &
virtutum vestrarum se se diffundit odor, & nos suavitate
mira permulcet. Immo, velut decerptum folium, digitis
com

commalaxatum & naribus admotum, odorem reddit dulcior-
rem: Sic vestra nobis ostensa clementia & singularis huma-
nitatis officia, quò magis considerantur, quòq; magis in vi-
cem quasi illisa, pressiusq; trita, accuratius conferuntur, fra-
grantiora evadunt; & quò magis excrescunt, quò suavius
spirant, eò laudes solenniores & gratiarum actiones opero-
siores exposcunt. Quid dicam? Ut flores quidam jacent, nec
assurgunt in altum, nisi ad bacillum aut aliud fulcrum ap-
pliciti: Ita nos ad novum dignitatis gradum non aliter elati,
nisi clementia & adfectu vestro incredibili subnixi. Ac ut
floribus sapientes Ethnici numina tribuerunt, quò divina
providentia varietatem & amœnitatem eorum adscribe-
rent: Ita nostri quoq; honoris amplificationem vobis acce-
ptam omni jure referimus. Posthabuistis multorum & gra-
vium negociorum curam, & convenistis in aedes Magnifici
Dn. Herdesiani, ex his templum ingressi, Deumq; junctis
precibus alloquuti, vestris inclytis & desideratissimis præ-
sentiis, non solum promotionis actum, sed & convivium
hoc illustrius & splendidius reddere, haud dedignati estis.
Quo nostro merito? Florum aliquos ipsa rerum Natura pro-
ducit, sine hominis industria aut cultura: Vos gratiam & fa-
vorem, servitiis nostris nondum provocati; quos lautioribus
excipere dapibus, ut inam facultas nobis fuerit! Sed dum id,
quod debere vobis scimus, in hac caritate & raritate rerum
præstare non possumus, Princeps Celsiss., hospites præfulgen-
tiss., quod benigni creditores solent, voluntate nostra susten-

ferini, & cibo potuq; adposito contenti, vos eò aliquot adhuc
 per horulas lati & hilares invitetis, humiliter & obnixè ro-
 gamus. Hoc ipso, veluti flores odorato germine sese exerunt,
 & innotescunt, clementia & excellentia vestra, antea satis
 nota, se magis ostendet, atq; ut heliotropium & flores qui-
 dam ingenio suo semper ad solem: Sic animus noster ad cle-
 mentia & benivolentiarum vestrarum fontem largissimum
 obversus, quomodo certum aliquod submissionis & devotio-
 nis argumētum præbere vobis possimus, sedulo cogitabit, &
 ut speramus, efficiet, ut, cum, ad adequāda vestra in nos me-
 rita vires nobis deesse, omnes videant, ornanda ac cele-
 branda Clementia & virtutum vestrarum
 studium deesse, nemo arbitretur.



Menda, quæ typographicā incuriā irreperunt, ita corrigi possunt: reliqua enim æquus
 lector emendabit ac dextrè accipiet.

Lit. C. 1. latere, 2. linea 2. pro quem, lege aliquem: ibid. in fin. pro halyconia, balcyonia. C 2. lat. 2.
 lin. 7. pro legitima, legitima: ibid. in med. pro Cardub. Corduben, & c. D. 2. lat. 1. lin. 5. post por-
 tionem adde territorii D. 1. lat. 3. lin. 9. pro Germania, Germanica E. 2. lat. 2. lin. 1. in fin. dissert.
 pro reprimendam, lege retinendam. E. 2. lat. 6. lin. 6. pro ἐπιτρονῶν, lege ἐπιτρονῶν. ibi. lin. perposuit,
 proposuit. G. 1. lat. 10. lin. 6. pro martyrūm, leg. martyrūm: ibid. lin. 13. pro fugeatis, leg. fugiatis.
 ibi 1. in fin. 1. 3. pro rotunditas, rotunditas. G 1. lat. 2. lin. 8. post verb. bonos, addatur mores. ibid.
 lin. 11. pro bona, bona. lin. 13. pro abstinete, abstinete. H. 1. in med. post verb. anima advertens, in-
 ferenda sunt, magistratus exequi, & c.

Francofurti ad Oderam

Excudebat

FRIDERICUS Hartman/TYPOGRAPHUS
& Bibliopola.

ANNO M. DC. XXIV.



Nh 122



ULB Halle 3
002 714 272



st

1017







9

RECTOR
ACADEMIE FRANCOFURTANÆ
CYRIACUS

HERDESIANUS,
J.U.D. & Pandectarum Professor P.

Idemque pro tempore
Amplissima Facultatis Juridicae Vice-Decanus, & Pro-
motor ritè designatus
Ad festivitatem panegyricam.

In quâ
Viris quatuor, ingenio & doctrinâ præstantissimis,
virtute clarissimis,
Secundum ordinem, quo calculum Antecessoribus juris de se,
studij suis legitimis permiserunt, locatis

- DN. DANIELI BURCHARDI, MAGDE-
burgensi Saxoni, U. J. Licentiate
 - JOANNI-CHRISTOPHORO HART-
MANNO, Francofurt. Marchico.
 - PHILIPPO NEIDLINGERO, FREI-
stadiensi SIL.
 - MATTHÆO COLERO, VVITTEM-
bergensi Saxoni.
Supremos in utroq; jure honores, & Doctura insignia
III. Non. Junij anno cl. Is. CXXII.
ritu sollemni conferet
- Omnes omnium academie ordinum Proceres*
& Cives amice invitat.

LITERIS
HARTMANNIANIS.

